

Q.K. B. M. II, 429.

515,

34. h.

IOAN. CASELII V. Cl.

De

L V D O L I T T E - R A R I O R E C T E P E R I E N D O, Liber.

II g 195

In usum publici boni iterum editus, quem tanquam Ariadnes filium, in docenda pueritia, & prima adolescentia, preceptores sequantur.



TRINOTHECA
POSICIONIANA

HELMMAESTADI
Typis hered. IACOBI
ANNO

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE

clō b cXIX

X 1864114





Cic: i. de Offic.

Homines docti non solum vivi
atque praesentes studiosos discendi
erudiunt, atque docent, sed hoc i-
dem etiam post mortem monumen-
tis litterarum assequuntur.

*Caveto alienam disciplinam te-
mere contempnas.*



Viris



Viris Reu. Nobil. & Clariss.

REINHARDO ABBATI RINGELHEIMENSI,

ERNESTO ab HONRODA,
hereditario in Beltheimb/ Præposi-
to in Blßburg/

IOANNI Barnstorff/ I. C. & Quæ-
stori prouinc. Brunsvicens.

dominis plurimum honorandis,

S. P. D.

CHRISTOPHORVS HEIDMAN.



Inter omnes, vt nostis, viri Reuerendi, Nobiliss. & Clariss. constat, rectam & probam ætatis primæ educationem non ad singulorum tantum commoda aliqua, & utilitates priuatas, sed publicam etiam salutem ac felicitatem non parum referre: immò verò eam vniuersam hoc quasi fundamento niti. Tales enim singuli sumus sermone, moribus, animis, vita deniq; omni, quales nos puerilis illa reddidit educatio, eamque subsecuta institutio adolescentiæ. Quæ si recta fuerit, & ad normam prudentium atque eruditorum homi-

num exacta, fieri vix potest, quin, qui vti ea sunt, longè cæteris antecellant ijs bonis, quæ conciliare homini industria ac studium, ratione certa susceptum, potest; quæq; & propria hominis sunt, & firma in primis ac stabilia: & vnde potissima eius in hac vita, si qua putanda tamen eius est, felicitas proficiscitur. At verò si neglecta eadem, quasi cultura agri (per se quidem fertilis) sit, nihil mirum, si ingenia sæpè atque animi etiam præstantissimi pravis opinionibus, & non rarò perniciosis; gravissimisq; vitijs, quasi lappis tribulisq; , atq; adeò infelici lolio obducantur. Neque verò in nostra manu est, vt ab initio, ita deinceps, hæcne, an fructus optandos esse in ijs velis. Contracta enim semel vitia pertinacissimè animis hominum mentibusq; inhærent: neque quisquam, vt velit, corroboratam iam, & longiori consuetudine altam improbitatem ex animo reuellat, seq; subito retexat. Ita fit, vt qui ingenui sunt, si quid in educatione sua aberratum, siue sua, siue parentum, siue præceptorum, siue quorumcunque deniq; culpâ sit, non dissimulent callide, (quod tamen fieri vix posse credam) sed & fateantur, & doleant, & si fieri possit, emendare etiam cupiant: neque nunquam multam operam, magnumq; studium huic rei impendant. Quod, qui faciunt, rectius multò sibi absque dubio, consulunt, quàm qui in eodem semper luto hærere, neque pedem aliquan-

quando, agnito errore, malunt referre. Quibus autem eo nihil opus, quiq; ab ineunte ætate bonis artibus, & rectis de re quaq; sententijs imbuti, atq; ad optima quæq; adsuefacti sunt, felices non iniuria præ reliquis omnibus iudicantur. Neq; singuli tantum, sed ciuitates illæ vniuersæ, quibus eiusmodi tum ciues, tum rerumpub. moderatores contigerunt. Quod cum iam pridem sapientum vocibus proditum sit, nihil hîc intempestiuè attinet inculcare. Hoc tantum dicam, quod neminem negaturum arbitror, verè quidem non posse scio, neque templa, nec scholas, nec curiam, nec tribunalia, nec vllam denique administrationis publicæ partem idoneos homines esse habiturum, nisi ab ineunte ætate rectè instituuntur, qui muneri olim alicui præficiendi sunt. Quæ cum ita sint, equidem miratus sæpè sum, credo item vos, Reu. Nob. & Clarissimi viri, aliosque vitæ humanæ intelligentes, quid ita hæc pars curæ publicæ negligatur, vt paucissimi ex omni numero eorum, qui litteris dediti putantur, ad eam perfectionem, non solum eruditionis, sed virtutis, prudentiæ, sapientiæq; perueniant, quam non immeritò ab ijs expectemus, adeoq; postulemus, qui omnem suam ætatem in ijs studijs contriuisse volunt videri, è quibus illa mentis, animi atque ingenij bona petuntur. Nec ignotæ sunt plærorumque super

hac re querelæ. Multò enim maxima pars, præ-
fertim parentum, quorum expectationi pa-
rùm interdum filij respondent, ignaviam do-
centium in ludis puerilibus, aut inscitiam ac-
cusant; tantumque non perfidiæ reos
agi id genus homines nonnunquam audias.
Hi contrà, contumaciam, stuporem, negligen-
tiam puerorum, corruptelas seculi, indulgen-
tiam immoderatam, neque numquam auariti-
am, & præposteram parcimoniam parentum,
ne dicam magistratum. Pueri, vt culpa ipsi
vacare putentur, facilè in alterutros, facillimè
omnium tamen in præceptores eam reijciunt.
Nec est negandum, iustam interdum omnibus,
plerumque tamen aliquibus eorum iustiore, esse
querendi causam. Nam & qui in discipli-
nam magistris traduntur pueri, non aptissimi
semper ad humanitatis studia sunt, & animis
sæpe domestica consuetudine iam deprauatis
in ludum deducuntur, quique ita ab eo stu-
diorum genere, cui destinantur, abhorreant,
vt quiduis agere malint, quàm quod iubentur.
Et parentes non pauci, quæ seueriori discipli-
na in scholis præceptores adstringunt, intem-
pestina sua, & prope dicam crudeli, indulgentia
domi relaxant: nedum vt secundas quasi do-
centium partes agant, & optimo sæpe confi-
lio suscepta, diligentiam etiam suam tueantur. Nec
nisi paucissimis fortè locis, & apud eos, qui la-
bores docentium æstimare possunt, satis ho-
nestè

neſtè aluntur ac habentur pueritiæ doctores.
Quin exiguâ pleriq; mercedulâ, aut ſtipendio
annuo docent, quo vix baiulus quiſpiam, aut
auriga, aut infimorum denique homuncio-
num aliquis vitam toleret. Ita nil mirum, cum
nemo ſibi ferè deſſe velit, eos, quibus o-
mnia integra etiam ſunt, ad quætuofas artes,
minusque laborioſas atque odioſas animum
adijcere: docendi prouinciam, non modò
pulueris, & auræ parum blandæ, ſed mo-
leſtiarum, laborum, odiorum & contemptus
feraciſſimam, ſedulò declinare, facileque
cuilibet cedere. Præficiuntur igitur muneri
longè honeſtiſſimo, & in primis ſalutari, ferè
homines vix primis litteris tincti, ijque mori-
bus etiam ſæpe non nimium probandis.
Atque illi tamen non mediocres ſpiritûs ge-
runt, ſeque doctiſſimis & præſtantiſſimis viris
ſuo iudicio longè anteponunt, nedum vt eo-
rum ſibi iudicia reſpicienda cenſeant. Itaque
mirum in modum ætati tenellæ illudunt:
quippe quam non ſolum peſſimè plærumque
inſtituunt, & pro veris ac ſalutaribus in o-
mnem vitam ſententijs, falſis & noxijs opinio-
nibus imbuunt, quaſiq; veneno paſcunt; ſed
quam ſæuitia, aſteritate, plagis, quotidianis
conuitijs, ne quid grauius dicam, à ſtudijs o-
ptimis auertunt. Neque nunc memoro, quam
multis in locis adulterinæ artes pro veris ſub-
ſtituantur, quamque pernicioſo errore, &



vana persuasione de parte iam mirifica qua-
dam eruditione, plurimorum animi effascina-
ti, in perpetuis ignorantiae tenebris alienam cul-
pam detineantur. Illud tantum dico, etiam bo-
nos, doctos, assiduos & fideles pueritiae atque
adolescens primae doctores alicubi alucinari:
quod nec ipsi interdum animadvertunt, eoq;
corrigere etiam nequeunt. Aut enim diu ni-
mis vno in loco, auctoris forte boni, commo-
rantur, omniaq; etiam minutissima perse-
quuntur curiosissime, magnam optimi tempo-
ris iacturam: aut eorum quae docent usum nul-
lum, aut perexiguam demonstrant, ut, quod
in aliquo, licet probo, scriptore temporis atq;
operae ponitur, omne propere pereat; aut res
exiguas, nec magni momenti inculcant atque
ediscere iubent; potiorum nulla ratione habi-
bita, atque adeo, ne mentione quidem facta.
Iis igitur optabile sit, cognoscere, quo pacto
viri eruditione atque usu rerum praestantes, ar-
duam illam & cum primis salutarem provinci-
am administrandam censuerint: cum ipsi sua
sponte nihil malint, quam munus suum omni
ex parte quam optime explere, eoq; de quam
plurimis mortalium, ipsaque repub. praclare
mereri. Non puto autem fore temere hac no-
stra aetate, qui hoc in genere se cum eo confe-
rat, cuius libellum hunc, in usum quondam
boni publici scriptum, iterum vulgandum,
atq; communicandum cum ijs censui, quibus
puer-

pueritiæ educatio, id est, fons publicæ salutis
creditus, curæ cordiq; est, vt debet. Illos enim
vti eo posse videbam, non modò sua cum lau-
de, sed magno alumnorum ipsis commisso-
rum, & communi omnium bono. Quod quidem
futurum nò dubitem, si aut omnes, aut pleriq;
aut plurimi deniq; eorum, hoc quasi Theseium
filium sequi velint: quod viros bonos atq; in-
genuos vltro facturos confido: magis verò et-
iam, si quidem auctoritas eorum accesserit &
iussio, quibus reip. & Ecclesiæ primæ partes
commissæ sunt, scholarumq; inspectio & con-
stitutio permessa. Vos quidem, Reu. Nob.
& clarissimi viri, qui ob pietatis & sanctimo-
niæ studium, ob virtutis atque eruditionis præ-
stantiam, non postremo inter patriæ proceres
loco estis, id agetis, spero, vt pluribus libellus
hic commendetur: non in mei gratiã, neq; au-
ctoris, sed patriæ nostræ comodum. Hoc enim
mihi, cur iterum eum edam, causæ est, vt, qua-
re honeste possum, publicam rem iuuem. Si
assequar q; volo, patriæ causa gaudebo, eiq;
partem hanc felicitatis gratulabor. Sin, vt fie-
ri solet, inuidi quidam aut maleuoli hæc auer-
santur, si arrogantes contemnent, si indo-
cti non agnoscent; equidem optimi animi, re-
ctiq; consilij conscientiam me consolabor. Pro-
desse enim hominibus nostris hoc pacto volui:
neque nunc quidem melius quippiam habui
aut vtilius, quod hoc in genere pueritiæ atq;

adolescentiæ moderatoribus sequendum da-
rem. Nam qui à proletarijs hodie & capite-
censis libri cuduntur, auctoris suis, nescio
an non seculo etiam hoc, non indigni fortè
sunt: rei verò tantæ prorsus certè impares.
Quos ego, cum Theophrasto, ἐπαινεῖν μὲν
& δυνάμει ψέγειν δ' & βέλομαι. quid enim ad me,
quales quisque merces siue pueris incautis ob-
ijciat, siue non multò intelligentioribus eo-
rum parentibus humanitatis specie obtrudat,
aut donantis habitu satis astutè vendat? O-
nerent sanè, quascunque possunt tabernas in-
ficetis suis & sordentibus chartis, impleant
manus imperitorum hominum, & strenuè
magnoq; conatu, quasi lege iussi, insaniant, qui
frontem perfricere, vel potius perdidere: & si
dormire non possunt, vel cucurbitas pingant,
etsi neq; natare, nec litteras didicerint: quan-
do id nunc æuum viuitur, quo audacia & im-
pudentia in sapientiæ & modestiæ locum con-
cessere. Neq; tamen ignorent, superesse etiam
nunc, nec vno loco, qui intelligant, quid di-
stent æra lupinis. Hisce igitur talibus vel risum
moueant, vel bilem: plebeculæ quidem lu-
dos exoptatissimos faciant, & quam plurimos
amentię suæ testes colligant. Quidni enim Sa-
turnalibus iure suo vernulæ abutantur? Qui
verò honestiores sunt & cordatiores, sæculi
maculas industria suâ, quoad poterunt, eluere
aut abstergere studebunt, dignitatem litte-
rarum

rarum & bonarum artium tuebuntur, neque
traditam à maioribus elegantioris eruditionis,
sapientiae & virtutis possessionem, multis co-
rum laboribus, multis vigilijs, longo tempo-
re partam, culpâ suâ perire, aut ab indignissi-
mis hominibus conuelli ac pessumdari patien-
tur. Quin monstris illis ac portentis homi-
num, natis in opprobrium ac dedecus æui, siue
contemptis, siue elisis, ea porrò scribent, ea
docebunt, ea vulgabunt, quibus non sui tan-
tum, sed & futuri sæculi homines (si quod De-
us esse volet) erudiant: etsi malitia, inscitia,
inuidia rumpantur. Magnus vir, & æternum
Academiae Iuliae, immo verò patriæ nostræ v-
niuersæ decus, **CASELIUS**, ita fecit, quam-
diu æternus orbis rector & conditor in hac e-
um mortali statione esse voluit. Vtilissimis
enim elegantissimi ingenij monumentis do-
ctissimū quemq; ac præstantissimum cepit; id
est delectauit simul ac docuit: idq; faciet porrò
quãdiu scripta eius inter homines erunt: erunt
autem, quamdiu litteræ ipsæ in aliquo precio:
de quo equidem prorsus nihil ambigo. Indi-
cio sit perexiguus hic libellus, è quo, tanquàm
tabella quadam, etsi angusta, qui acutiori iudi-
cio præditi sunt, Apellem illum nostrum facile
æstimabunt, dum maiora eius & luculentiora
opera adornantur. Eum vobis inscribendum
censui, Viri Reu. Nob. Clariss. vt, si id è repub.
nostra videatur, pluribus commendetis, per-
ficia-

ficiatisque, vt non alijs potius, quàm nostris
ciuibus, nostræq; patriæ, à viro ciuium suo-
rum & patriæ amantissimo scriptus esse videat-
tur. Facietis ita, spero, idque apud intelli-
gentes ac bonos, & commodis publicis magis
quàm affectibus suis deditos, facile obtinebi-
tis. Quod si qui illis obstare non dubitent,
dum his morem gerant, eos ego non magno-
pere nobis respiciendos puto. Scio enim ta-
les virtutem & eruditionem veram non magis
ferre, nedum amplecti, quam solem il-
lam Apharantos Libyes: qui ἡλίῳ ἀνίσχοντι
λοιδοροῦνται, ὡς πολλὰ κακὰ φήναιτι. *Soli orien-
ti conuicium faciunt, vt qui multa mala in-
lucem proferat & ostendat.* Si igitur sui similes
perpetuò erunt; vos vestri. Ita valete. Ex
Acad. Iulia. XIII. Kal. Octobr. quo die Aegy-
ptij olim ἐορτάζοντες τῷ Ἑρμῇ, mel & ficus com-
edebant, Ἰπιλέγοντες, ΓΑΤΚΤΉ Η΄ ΑΔΗ-
ΘΕΙΑ, cui mea, omniumque bonorum &
intelligentium consonat sententia.





Lectori Candido. S.

Vt absque labore, quæ libello hoc continentur, inuenire possis, & versiculis eum, interpositis numerorum notis, distinximus, & ad eos accommodatum nunc iam statim in fronte damus

Indicem.

Itaq; v. 1. & sequ. Causam & occasionem scripti huius ostendit auctor.

Dein, quomodo pueri docendi sint prima litterarum elementa legere: v. 39. eademq; scribere. 79.

De studio linguarum, Latine potissimum & Græca: 105. quo ducit Grammatica. 129. quæ quo pacto rectè doceatur, aut secus, ostenditur 123.

Qui libri interpretandi pueris sint. 213. quomodo interpretandi. 319.

Quomodo & loquendo exercendi, & scribendo. 442. An versus ipsis pandendi? 508.

De

De aliarum linguarum studio, & an
vera eruditio in cognitione variarum?

537.

Obiter, quomodo, quibusq; sancta, id
est Hebraea lingua, & studium sacrarum
litterarum colendum: quantumq; de eo pue-
ris degustandum? 558.

Logicae studium siue Dialecticae, an,
& quatenus pueris conueniat? 612.

Quatenus item Rhetorices, siue artis
dicendi? 657.

De studio Musicae. 681. & Mathe-
maticum. 714.

De Graecae linguae studio, & inter-
pretatione recta Graecorum auctorum
730.

Epilogus siue Conclusio opusculi. 801.

Quod in calce subiecimus ADDITA-
MENTVM, neque ipsum sine fructu
tuo leges, qui eo animo accedis, ut in-
strui bono consilio in re litteraria cupias.
quod

quod tu certè, lector ingenue, cupis vel
maximè. Si qui alij, aut alia mente, id
est, ὄνοι λύρας, nihil morari debemus aut
moueri. Sin, quod nolim, quidam hoc
aut illo fortè, animi sui vitio, offendentur,
quo tamen nihil per se melius, & sanis iu-
cundius, cogitabunt scilicet, verbum esse
vetus: nihil cum amaricino sui.

Tu vale, & his gratus fruere.





Quinctilianus lib. 1. Orator

Instit. cap. 1.

VT corpora ad quosdam membro-
rum flexus formari nisi tenera non
possunt; sic animos quoque ad pleraque
duriores robur ipsum facit. An Philip-
pus Macedonum rex Alexandro filio suo
prima litterarum elementa tradi ab Ari-
stotele, summo eius ætatis philosopho,
voluisset, aut ille suscepisset hoc officium,
si non, studiorum initia à perfectissimo
quoque tractari, pertinere ad summam
credidisset? Fingamus igitur Alexandrum
dari nobis, impositum gremio, dignum
tantâ curâ infantem, (quanquam suus
cuique dignus est) pudeatné me in ipsis
statim elementis etiam breuia docendi
monstrare compendia?





IOANNIS CASELII
DE LVDO LITTERARIO RECTE
APERIENDO.

Ad Clarissimum Virum

THEOBALDVM GRVMME-
RVM

Episcopi Lubecensis consiliarium

LIBER.



Facilior equidem semper sum, fateor, Theobalde, ad promittendum: ad praestandum contra sepe tardior. 2 Facilitas haec, quod te quoque existimare arbitror, proficiscitur, ni fallor, ex nimio meo erga amicos studio: 3 si tamen nimium hoc esse recte dicimus, quod rectissime fieri intelligimus. 4 Amicis enim non rogantibus solum, sed vel voluntatem suam significantibus, quod in mea potestate positum sit, aut positum esse videatur, nihil fere negare possum: 5 neque ulli parco opera & labori, us gratificandi, tum in rebus ad eorum utilitatem pertinentibus, tum maxime, si quid sit quod ad publicam pertinere videatur. 6 Sic

A

enitens

enim ut iure suo mihi imperent quodam modo pa-
 tior. 7 Ut autem serius nonnunquam perficiam,
 quod volunt, quam vel ipse velim, caussa sunt saepe
 plures. 8 Primum enim in mandato mihi m-
 nere, neque debeo, neque volo esse negligentior:
 9. quin omnes non solum officij partes explere cupio,
 sed etiam, ut in aliis, sic in hoc potissimum, me quo-
 que ipsum superare. 10 Quid autem de difficultate
 rei familiaris querar apud te, qui coniugem, liberos,
 familiam amplam, iam plurimos annos habes; 11
 neque nescis huius vite commoda & incommoda? de
 quorum tamen inter se contentione, iam non agam.
 12 hoc affirmare non dubitem, fieri nequaquam pos-
 se, ut totus & serio studiis sapientiae occupetur, qui
 familiae simul curam agat: 13 nisi idem & omnibus
 rebus plusquam abundet, & nihilominus amplissima
 quaeque fortuna bona, pra omnibus alijs contemnat. 14
 ac ne sic quidem, ob sexcenta alia, quae & semper
 impendent, & saepe eueniunt, illud fieri posse existi-
 mem. 15 Denique valetudo, neque satis, neque per-
 petuo firma, non raro me ab instituto renocat. 16
 Eam tamen in praesentia negligentius curandam mi-
 hi censeo, ut meam apud te fidem liberem, quam
 tibi pane anno abhinc dedi, 17 cum iuberet, ut de
 recte aperiendo ludo litterario sententiam meam
 exponerem. 18 Quamuis enim dicerem, quod sen-
 direm, & te hanc rem non minus intelligere, atque
 quisquam alius intelligat, 19 & ex stare de ea doctissi-

morum hominum iudicia, monumentis litterarum
 accurate consignata: 20 tamen non valde repugna-
 mi voluntati tua: neque ut, quod tantopere te velle
 animaduverteram, tibi negarem, mihi imperare
 potui: 21 praesertim cum publice interesse, ut hoc face-
 rem, & dicerem & asseuerarem. 22 Existimabam enim
 etiam, tum te & variis & grauibus negotiis ita disti-
 neri, ut huc respicere non posses, aut certe cogita-
 tiones tuas numquam desigere: 23 tum quidquid
 ab alys has de re esset traditum, atque rationibus
 confirmatum, hac mea scriptione non futurum de-
 terius. 24 Neq; enim, si quid minus recte a me
 dicatur, hoc velim melioribus sententijs anteponi.
 25 Simul tamen cogito, posteriores cogitationes,
 uti dicitur, esse meliores: 26 id quod non de sua
 cuiusq; solum, sed & de diuersorum hominum opi-
 nionibus ita esse existimo. 27 Quae namq; etiam
 a doctissimis, & summi ingenij viris inuenta & tradi-
 ta sunt; 28 iis aliquid, & ipsum cum veritate con-
 sentaneum, saepe recte potest adijci: neque non ali-
 quando non nihil ostendi rectius. 29 Etsi hac ego
 scripturus, nullius sententiae aduersari, sed meam ti-
 bi de ijs, quae mihi in mentem venient, capitibus
 explicare cogito. 30 Vt autem hanc cunctatio-
 nem meam, seu malis tergiversationem interpretari,
 apud te excusam, non necesse arbitror, 31 peneq;
 indignum nostra necessitudine, & animorum nostro-
 rum artissima coniunctione. 32 Quod si, ut

praeteferis, (etsi iocum intelligo) huic morae hie die-
 bus iratior fueris; cum haec videbis, desines mihi
 succensere: 33 nisi hoc forte etiam tibi molestum
 erit, quod expectationi tuae (scio enim quantum
 de me tibi pollicearis) minimè respondebo, 34 cum
 dicturus sim nihil novi, sed pleraque cum pluri-
 mis cognita, tum tibi familiarissima. 35 Utar
 autem hac ratione, quam sequuntur, qui peregre
 iter facientibus monstrant viam. 36 Hi enim et-
 si semita principium forte digito ostendunt, tamen
 non tam docent saepe, quàm recte procedat viator,
 quàm qua vitet denia. 37 Neque sane, qui, quae
 fugienda sint, monet, penitus non docere, quae sequen-
 da sint, videtur. 38 Nec aliter Ulysses Circe
 monebat, ut rectum ille cursum in patriam teneret:
 & hac potissimum ratione ad virtutem perueniri,
 sapientes existimant. 39 Audi igitur me ab ul-
 timo & valde puerili principio ordientem: quod for-
 tasse mirèris. 40 Ego autem, quod plurimum re-
 ferret, nullo modo praetermittendum putavi, etiamsi
 vel cecus videat quod nunc dicturus sum. 41 Qui
 prima litterarum elementa, & legere pueros docent,
 idque rectè; quàm bene de illis mereantur, 42 ex his
 facere iudicium possumus, qui primulum hac in par-
 te negligenter eruditi sunt: 43 quorum novi ego
 aliquot, qui cum primam litteram initio obscure
 proferre didicissent, eam consuetudinem vix exsue-
 rent, etsi maximè vellent: 44 tum quod salibus

eo nomine aspergerentur, tum quod hoc iam ipsi intelligerent. 45 *Iis enim & eloquentia fores occlusae sunt, & ademptus ferè usus sermonis in familiari consuetudine.* 46 *Quis enim è media plebe, vel etiam semibarbarus, inconditos sonos aequis auribus accipiat, nedum sitientibus avidè arripiat?* 47 *Quis autem, nisi impudentissimus, qui vitium in pronuntiatione haud leue aliquod agnoscat, siue à natura acceptum, siue contractum in infantia,* 48 *vel in concionem ad dicendum prodeat, vel aliquas suas esse partes postulet in elegantium hominum sermonibus?* 49 *Si quid vero eiusmodi quis vel à natura acceperit, vel ab ineunte etate didicerit; id dediscere haud aequè facile erit.* 50 *Non solum enim quae primum imbiberis, difficillimè eluuntur, sed ipsum dediscere per se est longè difficilius, quàm discere.* 51 *Neque tamen non in laude ponendum est, si quis, quod in quaq; re alia, & in hac minus probum habeat; hoc abijcere aut emendare conetur.* 52 *Hoc Demosthenem, oratorem omnium principem, fecisse accepimus: 53 qui, cum primam artis suae litteram non proferret commode, & multa alia sibi deesse in hac parte animaduertiret;* 54 *subterraneum sibi ipse specum condidit, quo descenderet quotidie, vocis exercenda gratia.* 55 *quin ut aliorum consuetudinem penitus declinaret, & hoc solum ageret, duos tresue menses perpetuos semiraso capite ibi latitabat.* 56 *Quanto*

autem satius est, & ab initio corrigi linguam, dum
 flecti nullo negotio potest; 57 & vocem ad elegan-
 tem sonum informari? in quo nihil sit horridum,
 nihil agreste. 58 Potest hoc docere pueros ab incu-
 nabilis magister non doctissimus, neque plane tamen
 insulsus & agrestis. 59 Ita puer ea cognouit,
 quae ipsi adulto, atque etiam nunc oratori profint, &
 gratiam addant, & dignitatem. 60 Oratori enim,
 ut inquit M. Tullius, lingua, & spiritus, & vocis
 sonus est ipse moderandus. 61 nolo exprimi litteras
 putidius, nolo obscurari negligentius: nolo verba
 exiliter exanimata exire, nolo inflata, & quasi
 anhelata grauius. Haec tenus Cicero. 62 An haec non
 ad nostros quoque oratores pertinere existimandum
 est? 63 dico & eos, qui in templis populum de
 pietate in Deum, & Christiani hominis officijs do-
 cent: 64 & rerumq; regumq; consiliarios, qui v-
 trumq; hodie & iurisconsultorum & oratorum mu-
 nus sustinent: 65 in quibus duobus tamen simul e-
 undem prestare difficile est: 66 & prestare nequa-
 quam posse, scripsit in quadam oratione aduersus
 bonarum litterarum contemptores, nobilissimus ille
 artis rhetoricae magister Libanius, 67 qui &
 ante & post Iulianum floruit, familiaris principis
 eiusdem seculi theologorum Basily. 68 Sentit enim
 atque affirmat, qui alterutrum horum aggressus sit,
 ei alterum negligendum, vel abiiciendum esse. 69
 Sed neque cum potentioribus, quorum hoc quotus-
 quisq;

quisq; intelligat? neq; cum nostra aetatis moribus, quibus quemque ut aetna Euripi abripiunt, odiosè pugnamus. 70 Ad contentionem igitur orationis, hanc puerilem institutionem plurimum conducere, dubium nullum relinquitur. 71 Neque non verò & ei necessaria est, qui ad oratoriam non aspiret; modò inter politos homines, vivere constituerit: 72 quo animo qui non est, eum ne quidem hominem esse existimandum est. 73 Idem igitur & Latinus orator, & homo doctissimus atq; politissimus, ubi de officijs disputat, monet sedulo, & laudat ob elegantem pronunciationem Catulos. 74 Sonus erat, inquit, dulcis: littera neq; expressa, neq; oppressa: ne aut obscurum esset aut putidum: sine contentione vox, nec languens, nec canora. 75 Neque parum est sollicitus Plutarchus hac de re, ubi de educatione liberorum disserit, 76 cum etiam nutrices deligi infantibus velit, quae & eleganti voce, & pure loquantur. hoc enim latius est. 77 Quanto magis hoc ad pedagogum pertinere arbitrabitur? 78 Neq; me quis putet tantum de Latina lingua loqui: de vernacula idem non minus sentio, quod ex his, quae inferius aliquando dicentur, magis apparebit. 79. Ut autem sum sollicitus de singularum litterarum, syllabarum, dictionum, deniq; orationis enunciatione: 80 sic in litterarum scriptione velim plus impendi opera & studii, quam apud nos passim fieri video. 81. Quin contra pueri ex multis audiunt, doctissimos quosq; litteras quam turpissimis

A e

no pin

mè pingere. 82. Quod si ita est, nihilo magis tamen est sequendum, quam aut pera aut baculus affectandus Diogenis: 83. atq; etiam minus, quod hic de hoc genere vita, abhorrente à communi mortalium consuetudine, consilium cepisset: illi venuste etiam malint scribere, si possint. 84. Cum enim in omni re elegantia sit optanda, tum in hac minimè negligenda est, etiamsi non esse necessaria aliquibus videatur. 85. Non est omnino necesse, eleganter esse armatum imperatorem aut militem; sed prædicantur tamen arma fulgentia heroum Græcorum, in primis omnium regum fortissimi Achillis. 86. Xenophontem quoq; & Socraticum, & ducem præstantissimum, elegantia supra modum studiosum fuisse accepimus. 87. Dicebat enim, si quis hostes superasset, ei merito togam triumphalem deberi: 88. si quis etiam fortiter dimicans cum hoste cecidisset, hunc in armis pulcris non indecore ibi iacere: 89. eaq; esse virtus, quæ ornamento sint forti viro. 90. Ipse autem uti solebat clypeo Argolico, thorace Attico, galea Bœotica, equo Epidaurio. 91. An minus ornent hominem sapientiæ studio deditum libri optimi, ydemq; in optima charta artificiosis typis impressi, vox admirabilis, scriptura elegans? 92. quæ quidem ut philosophum neq; faciunt, neq; perficiunt; ita eo ipso digna esse nemo, opinor, negabit, nisi cui placeant inquinata & sordida omnia. Neq; non possum multos nominatim homines doctissimos recensere, tum

re, tum, qui sint hac arte instructi, tum qui ita sentiant. 94 An non derident idiota, quæ ita inscitè rudibus exarata sunt litteris? 95 Etiam Plauti Pseudulus de epistola sic scripta ludit: an obsecro hercle, inquit, habent quoque gallina manus? Nam has quidem gallina scripsit. 96 Veteres quoque illos optimo mortales pulcro scribendi studio delectatos fuisse, indicant inscriptiones monumentorum in Italia, incisæ æri aut marmorì vel Latinis vel Græcis litteris perfectæ. 97 Et etiamnum epistola Basilij existat, qua Calligraphum reprehendit, quod versus scripturæ suæ duceret gradatim, sive ut cancer graderetur Aesopicus, 98 Et amplissima Bratislaviensium respublica, publico sumptu huius artis magistrum suis ciuibus, haud ita multis, ut audio, antè annis aluit: 99 quæ est laus aliqua huius urbis celeberrimæ, sed tamen in cæteris minima; 100 maximas autem persequi fas omnino est, sed huius loci minime. 101 Itaque nullum iam dubium relinquitur, quin docendi quoque sint pueri, ut, quæ rectè legere didicerint, ea quoque elegantibus discant litteris representare, 102 nõ solum ut expeditè legi possint, sed etiã ut legentes oblectent. 103 Hactenus de duobus monui, quæ si quis minuta esse contendat; facile concessero ea esse minutissima: 104 modo idem mihi largiatur, adolescenti turpe esse, (quoniam adultiores, à spe emendationis longius absunt, & hoc se reprehendi ægrius ferunt) & in priori alucinari, & non didi-

cisse posterius. 105 Porro, hisce expositis alia mihi
 ineunda esset ratio consilij mei explicandi, 106 mi-
 toq; eruditius disputarem de educatione teneræ æta-
 tis, si ingenuæ artes & omnis philosophia nostro ver-
 naculo sermone esset tradita. 107 Sed longior est via
 instituta ad metam, quò tendimus, quæ est virtus
 & veritas: 108 (quarum tamen neutra, ut vulgò lo-
 quimur, ab altera separari potest.) 109 siue & inimi
 ad rectè viuendum, & mentis ad rectè intelligendum
 cultura, non solum nobis, sed omnibus in vniversum
 per omnes orbis Christiani regiones, 110 Dux e-
 nim sunt linguæ, quibus olim sapientissima & poten-
 tissimæ gentes utebantur: 111 quibus pitissimum
 continentur, quibus animus, oratio, mores, vita
 deniq; hominum egregie expolitur, & diuinitus
 perficitur. 112 De qua re iudicium faciendum
 est, non ex perfectione, à qua omnes mortales lon-
 gissimè absunt, 113 & se longissimè abesse intelligunt,
 porissimum qui cæteris antecellunt, putanturq; perfe-
 ctissimi, 114 sed ex contentione vtriusq; generis inter
 se, & agrestium incultorumq; & liberalibus doctri-
 nis expolitorum: 115 cum hi ab illis pene longius,
 quam illi à brutis discessisse videantur. 116 Dna
 iam exterminata ab usu populorum, & monumen-
 tis librorum optimorum conseruata linguæ, paran-
 de sunt nobis; & Latina & Græca 117 Sunt e-
 nim arcule Musarum, quibus ipse thesauros sapien-
 tiæ reconditos custodiunt. 118 Has molestia, & gra-
 ni, &

ui, & longi temporis, in uniuersum carebant Graeci homines. 119 Leporem enim Atticum una cum lacte nutricis imbibebant, neque necesse habebant, aut Latinam, aut quamuis aliam addiscere: 120 nisi si id negociandi gratia facerent, aut quamuis aliam potius ob causam, quam ob doctrinae studium. 121 Romani, & quia late imperabant, & cum iam praeter artem imperatoriam studia humanitatis colere coepissent; Graecum quoque sermonem discebant; idque minimo sane negotio. 122 Vel enim in Graeciam se conferebant, ubi verbum nullum alterius linguae audirent: 123 vel domi audiebant quotidie Graece loquentes plurimos, quod ne serui quidem paullo honestiores Graece ignorarent. 124 Nos contra, ex quibus hominibus latine discimus? (alterum enim sermonem relinquam in praesentia.) 125 qui ipsimet vix tandem egre utcumque ipsum balbutire coeperint, vel etiam penitus nesciant. 126. Nescire enim profecto is putandus est, qui, quamuis Latinis ipse verbis utatur, 127 tamen veteres scriptores neque legit, neque intelligit, nedum ad illum modum loquatur. 128 Ex hac inscitia, lingua, si diis placet, Latina, non unius generis nata est. 129 Ergo ferè ex libris nunc tantum recte hodie petitur, ducente nos ad illorum faciliorem intelligentiam grammatica. 130 Est enim haec tamquam filium Ariadnae, atque dux vel potius perpetua comes peregrinantibus in Latina lingua, tamquam in longinqua regione.

131. Qua-

131 Quare in scholis puerilibus rectè fit, ut doceantur
 hanc artem tam utilem & necessariam tirones.
 132 Sed non omnes eam rectè tradunt pueris: neq; de
 ijs dico, qui ipsam artem non teneant, 133 (quod de
 his quidem dubium nullum sit,) sed qui optimè o-
 mnium callere existimantur. 134 Primum non
 deligitur libellus grammaticus, neq; facilis, neque
 brevis, 135 sed, ut ipsi aiunt, plenior & perfe-
 ctior, vel quem puer ipse versarit, vel quem ad ar-
 bitrium suum magister confecerit. 136 Est enim
 utrumq; iucundum, & in ijs esse, quæ semper tra-
 ctauerimus; & ea tractare, quorum quidam opifex
 esse videaris. 137 Deinde de singulis partium oratio-
 nis accidentibus, quæ ita appellant grammatici:
 138 de quorum etiam numero inter ipsos nunquam
 hætenus conuenit, 139 (neq; verò etiam opus est
 admodum) docent, & querunt ex discipulis nimis
 religiosè, 140 quasi in arithmetica, si in minimo nu-
 merorum erres, in vniuersum à veritate aberraris,
 ita hinc quoq; fiat: quòd longè secus se habet. 141
 neq; non de ijs ita subtiliter disputare quidam inci-
 piunt, ut non in arte litteraria, sed in diuina philo-
 sophia versari; & se profiteri non grammaticos, sed lo-
 gicos videantur. 142 Quorsum enim facit accu-
 rata consideratio de numero, de tempore, item de a-
 lijs, horumq; definitiones? 143 ita enim appelle-
 mus, quæ ne rectè quidem descriptiones dici queunt.
 144 Pertinent autem rerum inuestigatio & scien-
 tia

dia ad philosophum; 145 de quibus grammaticus frustra se ipsum occupat, & angit: frustra pueros suspensos tenet, & cruciat. 146 Imbecillitas enim ingeniorum puerilium huiusmodi quaedam non capit, etiamsi magister praeclare intelligat, & subtiliter ipse philosophetur. 147 Aliam praeterea multi adhibent diligentiam superuacaneam, 148 in locis scriptorum veterum, qui in libellis grammaticis citantur, perquirendis & explicandis. 149 Illi indagatores unius voculae aut versus, 150 praeterquam quod iacturam faciunt bonarum horarum grauem; 151 perinde in grauissimis scriptoribus versari mihi videntur, ut in magnifica domo atriensis, 152 qui vasis aureis & argenteis neglectis, sparsa per aream ossicula, vel nuces cassas sedulo & colligat & custodiat. 153 Neque in grammaticis praecipis interpretatio scriptorum locum habet, de qua dicemus postea: 154 & amussa quaedam est grammatica, qua utitur faber, non aedificium aut ipsa aedificatio: quod infra fiet planius. 155 Reprehendi ingentia grammatica, quae teneris ingenii oneri sint, & ipsa deprimant: neque iniuria, ut arbitror: 156 sed magis reprehendi debet quorundam peruersum studium, qui neque contenti multitudine illa praceptorum unius libri; 157 Priscianum, Diomedem, Linacrum, quidquid est veterum & recentium, bonorum & nihili grammaticorum, in unum locum comportant, 158 & magnum acervum

gram-

grammaticorum velut ante pedes exstruunt: 159 ^{ut}
 qui domum edificet, conuehat quantum possit trabiū,
 recens sectarum, cariosarum, longarum, breuium; re-
 ctarum, curuarum, nodosarum: 160 ut altam li-
 gnorum struem, idq; maximam partem inutilium
 ante oculos habeas. 161 Neq; hoc praterendum
 est, omnes modos loquendi ad regulas à quibus-
 dam referri, vel ex quoq; horum nouam regulam
 confici: quod ut fortasse rectum, ita minimè necesse
 sit. 162 Nam quæ simpliciter sineq; causa disci-
 possunt, quid attinet ea rationibus non necessariis
 fulta, & multis ambagibus tecta proponere? 163
 Sanè si cui monstras viam, non in omnia vestigia di-
 gitum intendis. neq; enim minus tibi, quam viatori
 molestus fueris & grauis. 164 Persequi autem o-
 mnia, in quibus multos errare existimem, qui do-
 cent grammatica, neq; necesse est, neque velim,
 neq; possim; 165 cum multa aliorum prauæ ratio-
 nes me fugiant, & errorum numerus definiri nullus
 vlla in re possit. 166 Non possum non hoc attin-
 gere, quod & discipulis obstat plurimum: 167 non
 dico iam multitudinem canonum, sed figuras con-
 structionis quàm plurimas, vbi sufficerent pauca, 168
 quæ ipsis nominibus monstrose sepe sunt, ita obscura
 ipsarum definitiones, ut facilius, quæ ex tripode Py-
 thia profatur, intelligas. 169 Sed quid tu tantum
 carpis? inquires: quo igitur modo grammaticam
 doceri iubes? 170 Vim uniuersæ huius artis po-
 tis-

diſſimam in inflexione dictionum conſiſtere arbitror :
 171 in qua puerum ita exerceri velim, ut ſit exerci-
 tatiſſimo promptior : 172 præceptionibus vero &
 regulis oneretur, quàm fieri poteſt pauciſſimis: 173
 ſtatimq; deducatur ad intelligendos Latinos ſcripto-
 res. 174 Sed qui interpretandi ſint, & qua ratio-
 ne interpretandi, iam iam aperiemus. 175 Eſſe
 exiſtimo, quæ dixi hætenus, me bonis, quotquot
 ſunt, grammaticis approbantibus dixiſſe: 176 ta-
 men, ne quis ſecum omnia, uti à me dicuntur, non
 ſatis diligenter & ingenioſè reputans, exiſtimet, me
 hanc artem nulla laude dignari, quam alij in calum-
 niis, 177 & ipſi eloquentiæ, aut poëticiæ, aut
 philoſophiæ, omnium diſciplinarum magiſtra & re-
 gina, tantum non anteferunt: 178 meq; aucto-
 rem eſſe eius aſpernanda, aut tractanda oſcitantius:
 179 ea gratia venit in mentem mihi, quod mei tu-
 endi ſeu explicandi potius gratia, moncam. 180 E-
 go enim artem grammaticam, ut principium ad di-
 ſcendum, non ut ſcientiarum perfectionem, probandã
 & utraq; manu tenendam arbitror. 181 Qui gram-
 matica non teneat, eum ad ſapientiam non adſpi-
 raturum conceſſero: 182 qui teneat, nihilo dum
 ſapientioſorem eſſe affirmem, quàm qui non teneant.
 183 Liquēre id hinc puto: qui balbutiat, eum
 forte eloquentem fore; 184 cui uſus linguæ in forman-
 da voce nullus ſit, ei primum aditum ad eloquen-
 tiam eſſe intercluſum: 185 neque tamen balbuti-

entem

entem tantillo esse muto eloquentiorem. 186 Aut
 si Romam iter instituerim; si limen egressus fuero,
 Romam forte aliquando venero: 187 tamen siue
 domi latebo, siue limen egrediar, neq; ulterius pro-
 grediar; numquid ego me Romæ esse stultè somniem?
 188 aut eò venturum, etiamsi perpetuò ante ades
 ambulem, sperare audeam? 189 Dicat quis, me a-
 perta loqui & manifesta. Fateor: sed quibus multi
 non assentiantur, qui existiment, hac censura sibi
 iniuriam fieri: 190 quos placare ego etiam non
 studeo; & facile patior, ut opinando, nihilq; sa-
 piendo, iucunda vita fruantur, que tamen nemini
 sana mentis fuit optabilis. 191 Credidi autem, &
 que notavi, & his similia, aliena esse ab officio ma-
 gistri grammaticæ: 192 quod ineptum sit, & ni-
 hil adeò magis discentium cupiditatem retardet,
 quàm eos ab ultima infantia ad iuventutem vsque
 detineri in plusquam nugis grammaticis: 193 quod
 non sine stomacho fieri vidi sæpius. 194 Nisi enim
 sæpe vidissem, non reprehenderem, ac ne vix quidem
 fieri crederem: 195 pereunt adolescentia anni decem,
 sæpe plures: aliquando viginti si dixèrim, non men-
 tiar. 196 Ita miserè perit ipse flos ætatis: quanto
 temporis spacio virum etiam præstantem militia fieri
 & doctrina credibile est, si quem neq; animus, neq;
 ingenium deficiat. 107 Neq; accipio; in pueris
 esse hebetiores & tardiores. 198 Primum enim
 tantam ingenij infelicitatem vix reperiri existimem:

199 deinde, si quem in uniuersum hac in parte natura neglexerit, (qua tamen equior esse consuevit ut plurimum) eum aliud potius agere iubebimus; 200 neq; magis aptum litteris discendis existimabimus, quam aut ad fides tangendas, aut ad stadium currendum; si ille ex manuum, hic ex pedum articularis labore. 201 Sed si queras, nihilne amplius uelim opera & laboris impendi studio grammatica, quam dixerim? principio sane nihil. 202 Sed ubi in lingua Latina non contemnendos progressus feceris, ut pleraq; intelligas; 203 non nihil etiam, neq; prorsus male, balbutias; cum ipsemet, quid sibi uelint grammatici, facile uideas; 204 non prohibeo, quominus bonae notae grammaticos, qui & pauci sunt, & veteres, legas; 205 de quibus illi monent, animaduertas; quae ipse haecenus non didiceris, notes: 206 quo in dicendo & scribendo minus abberres, aut hereas. 207 Sed ad hanc rem seculo non opus est. Paucis mensibus absoluerit hoc studium adolescens bonae indolis, idemq; diligens. 208 Hoc enim omnino, sed & suo tempore, neq; supinè agendum est. 209 Qui uero sunt huius artis praeceptores, & interpretes Latinae linguae; eos etiam suam prouinciam non satis rectè tueri arbitrer, 210 nisi omnes omnium grammaticorum angulos perreptaerint, & perscrutati fuerint intima penetralia. 211 Didicerint enim aliquid se dignum, quodq; communicare cum discipulis possint. 212 Nam

B

huius

huius etiam diuturni laboris molestias eos minimè subterfugere par est; quod has partes tutandas susceperint.

213 Sequitur, ut, qui libri interpretandi sint, dicamus. 214 Esse autem in ludos literarios minimè recipiendum, quidquid est recentium scriptorum, nihil habeo causse quapropter dubitem. 215 Cum enim velimus, puerum Latinum sermonem discere, non inquinatum, sed quam fieri potest purissimum; 216 satis profectò est, eum ex eo genere scriptorum hauriri, de quorum puritate, & hoc in genere perfectione dubium esse nullam possit. 217 Neque hoc quis ita accipiat, quasi ego omnes posteriorum seculorum scripta è manibus abijci velim. 218 Etsi enim inutilium librorum, eorundemq; improborum, incredibilis multitudo est passim gentium; 219 & quotidie accedunt & plures, & deteriores, quos non minus quam herbas noxias vitandas censeo: 220 tamen, quin multi quoq; existant & superiorum, & nostra aetatis purè eleganterq; conscripti, 221 saneq; ad unguem perfecti, de rebus utilissimis & maximis, minimè infitior. 222 Ad quos ego deligendos & cognoscendos inuito eos, quorum ij profectus sunt, ut de oratione rectè existimare, & in rebus ipsis proficere plurimum possint: 223 (est autem non satis idoneus auditor doctrinae de vita & negotijs mortalium, qui vel aetate vel moribus admodum adolescens est,

est,

est, ut philosopho placuit:) nedum ut quemquam
 ab illis ego deterream. 224 Verum nos iam de
 cultu ingeniorum puerilium agimus; puerorum a-
 nimos preparari cupimus ad doctrinas amplissimas:
 iam verò potissimum eorum linguam informari. 225
 Sed si quis velit animadvertere, dubium nemini es-
 se potest, quin veteres Latini scriptores pueris
 potissimum explicari debeant. 226 Constat enim,
 eos esse & optimos omnium, & purissimos, qui flo-
 rente lingua, 227 simulq; vigentibus apud Roma-
 nos scientijs Græcis, scripserunt, quique accommo-
 dati sunt captivi discipulorum. 228 Nam subtili-
 um disputationum tractationem tironum institutio-
 ni minimè esse accommodatam, per se, qui paullum
 sapiat, videt. 229 M. verò Tullium princi-
 pem esse non solum sermonis Latini, sed in uniuersum
 Romanæ eloquentiæ, quis neget? 230 Hoc e-
 nim in controversiam amplius vocari non potest;
 231 quod invidia etiam conticescente, cum diuina
 ingenij sui monumenta ille cuderet, ad unum omnes
 statuerunt; 232 ut ne quidem malsuolorum quis-
 piam contra ausus fuerit dicere. 233 Quod si e-
 nim quis tum faceret, non solum malevolentia, sed
 inscitia, vno ore omnium condemnaretur. 234
 Quare si qui hunc tantum virum hodie rideant, sei-
 psos deridendos, etiam bonæ indolis pueris, non so-
 lum doctis viris propinant. 235 Sed ego huc eo,
 ut eos rectè indicasse indicem, qui, cum Latinè

sermonis cupiditate arderent, hunc manibus versare, hunc imitari, quantum possent assequi, non destiterunt. 236 Imitari vero etiam feliciter & præclare potuerunt, qui ad eius se imitationem non præmature contulerunt: 237 hoc est, qui & cæteros pueros Latinæ linguæ scriptores, quiq; familiarissime de grauibus, de minutis rebus scripserunt, peruolutarunt. 238 Quos legens non existimes te in senatu sententiam dicere, aut in rostris concionem ad populum habere, aut in Academia cum philosophis acutè disputare; 239 sed vel in foro, vel in via, vel in villa, vel domi cum idiota, aut muliere, aut seruo, aut quocunq; ex familia sermonem instituere; 240 de re seria, sed non magni momenti, etiam de nugis, & germanis gerris & lyris, ut ille apud Plautum ait, agere: 241 quiq; & quæ magistri dicendi, optimi illi veteres & Graeci & Latini, reliquerunt, non esse sibi relinquenda crediderunt: 242 qui denique nullam non partem philosophiæ aliquanto plus degustarunt quam primoribus labris. 243 Qui alia quam hac via progressi, eloquentes videri, & se Tullianos dici uoluerunt, & ipsi se in incundum errorem coniecerunt; & fefellerunt alios; 244 quos ab omnibus classicis quoq; scriptoribus arcerent, & à non exigua parte Latini sermonis, 245 & pœnè in uniuersum à rerum cognitione excluderent; quæ omnium, quæ sequimur, potissimum est. 246 Non enim putandum

dum est, ceteros illius politissimi atque doctissimi se-
 culi, vernaculi sermonis imperitiores fuisse, vel ipso
 Cicerone; 247 aut inquinatè locutos fuisse, vel scri-
 psisse, ac non potius purè, eleganter, doctè deniq;
 248 presertim, qui vel ijdem, vel non inferioribus,
 & magistris dicendi, & sapientia doctoribus operam
 dedissent, 249 & exculti essent, vel non minus, vel
 aequè bene, vel etiam aliquanto amplius, (quod &
 mirum videbitur aliquibus, neq; tamen negari pot-
 est) quàm ipsemet dux eloquentium Cicero. 250
 Sed quid ego, ita de illis viris doctissimis & disertis-
 simis existimandum, rationibus conor evincere?
 251 Res ipsa in medio est: ipsi libri in manibus sunt
 hominum doctissimorum; 252 qui magni faciunt
 & admirantur, præter eloquentissimum omnium Ci-
 ceronem, 253 etiam Casarem, Sallustium, Varro-
 nem, Lucretium, Catullum, Horatium, Virgilium,
 & si fortassis unus & alter in hanc classem referri
 potest. 254 Neque potest quisquam dicere, mi-
 nus aut Latina lingua, aut Graeca eruditionis in v-
 noquoq; horum fuisse, quàm in M. Tullio. 255 lo-
 cos Catulli excipio: de ceteris si aliter sentiam, ni-
 hil sentiam, & hanc existimationem temere mihi
 sumpsero: 256 quam profectò neq; adolescens, neq;
 qui leuiter litteras degustarit, rectè sibi arrogau-
 rit. 257 Admirantur & hisce ætate superiores,
 Plautum & Terentium; 258 id quod minus
 mirum est, quòd illi, quos iam nominatim recen-

sui, ambos in delicijs habuerunt, ut epulas animi,
 & alimenta elegantia sermonis, neq; ferè unquam
 de manibus deposuerunt. 259 Cicero autem non-
 ne coloribus Terentiani stili pinxit nobilissima in-
 genij sui monumenta? 260 ut, quantum ipsi tri-
 buerit, non iam ex ijs, quæ veluti testimony loco
 scripsit, sed hinc etiam facile appareat, 261 quòd
 ab eo tam multa, ut & ab amico liberali, & diuite
 homine, mutua, vel potius in perpetuos usus suos
 sumpserit. 262 Cum autem pedetentim in omni-
 bus alyis rebus, & in linguis discendis progredi oport-
 eat; 263 cum ijs sentio, qui, quando Latinam
 neq; ex mulierum, neq; ex ullius populi consuetudi-
 ne discendi copia suppetit; quod proximum est, eam
 ex comædijs petendam censent. 264 Accedunt
 enim hæc ad familiarem sermonem quam proximè:
 vel sunt potius pene ipse sermo familiaris. 265 Ne-
 que enim impedit ratio versuum, ut in plerisq; alyis
 poëmatum generibus. 266 Comædia enim quam
 liberrimè ligata est, ut soluta non sit absimilis: neq;
 non hoc non agentibus sæpenumero iambici exci-
 dunt: & quidem, ut inquit Cicero, maximam
 partem ex iambis nostra constat oratio. 267 Hoc
 etiam addam, quod requisitum iri statim à curiosis
 atque diligentibus intelligam. 268 Ut idoneus
 sit comædiarum iaterpres: ut etiam eius munus
 non sit difficillimum: ita profectò non esse cuiusli-
 bet, neque mediocris grammatici. Sed de
 in-

interpretis officio agemus paullo post, ut diximus. 269 Eos igitur, qui pueris, & primum Latinam linguam discentibus, principio utriusq; comici fabulas interpretantur, rectè arbitror facere; 270 neq; peccare etiam præceptores existimo, qui pueriles dialogos & bene latinè scriptos, pueris proponant initio: quod tamen non, nisi ijs concessero, qui hac de re ipsi iudicent. 271 Tutius tamen in uniuersum est, ut & supra ostendimus, missum facere, quidquid est recens natorum librorum.

272 Sunt autem eiusmodi puritatis, perspicuitatis, & facilitatis M. Tullij epistolæ, & coniungenda iccirco comædijs. 273 Non enim hanc artem ignorabat, cuius summus ipse esset, perhibereturq; magister. 274 Non minus enim, quam fulmen torquere, ut velit, dicitur Iupiter; ita ille orationem tractare, uti volebat, poterat. 275 neque ignorabat, omnem fucum atq; affectationem ab epistolis abesse, & simplicitate naturam referre oportere, quantum fieri posset; id quod Gregorius quoq; Nazianzenus, cum hac de re ageret, sedulo monuit. 276 Delectum etiam in epistolis interpretandis habendum censeo. 277 Deligenda autem sunt familiares: non quæ ita inscribuntur familiares: sed ex utroq; volumine, quæ familiaris filo, proprioq;, ut diximus, epistolis contextæ sunt. 278 Neq; non ostensum rationibus est à doctissimis viris, quæ ad Atticum missæ sunt, fa-

miliares fuisse rectius nominandas: 279 cum neq³ quemquam habuerit familiariorē, & earum plerasq³ videatur eo genere sermonis scripsisse, quo ipse domi utebatur, vel certe non diuerso admodum. 280 Neq³ non tamen recte fecisse Cicero existimandus est, quod, quae cuiq³ loco, tempori, negotio, personae conuenirent, minimè omnium ignoraret; 281 qui & magnifico charactere multas epistolas exarauerit; & paucas, uti Heraclitus quispiam, obscurauerit. 282 Neq³ enim hoc reprehendendum est, quod, quae alios ignorare, & solum Atticum, cui intimos animi sui sensus, deniq³ salutem suam auderet credere, scire voluerit, ingeniosè texerit; ut ei soli ea ostenderet, celaret ceteros vel falleret, etiam si legerent. 283 Amplo verò dicendi genere non immeritò utebatur, ad principes urbis atq³ orbis imperij scribens; secutus hac in parte auctores optimos, Platonem, Isocratem, Demosthenem: 284 quorum epistola ad reges & populos exstant, quae & magnitudini rerum, & illorum dignitati respondeant. 285 Neq³ non hoc nos docent, qui de epistolis scribendis aliquid lectu dignum monuerunt: 286 & cum primis sedulo Phalereus, qui & orator ipse fuit, & principem locum in ciuitate sua aliquando tenuit. 287 Quae epistolarum anigmatica sunt, ea facessunt quoq³ & ingeniosis & bene doctis viris nonnihil negotij: 288 nunc tamen, postquam Victory, Corradi,

di, Manutij, acri studio, & multis vigilis occul-
 ta quam plurima in lucem prolata sunt, & obscura
 feliciter illustrata; 289 partim collatione quam
 plurimorum ipsius scriptoris locorum, tum erutis ex
 antiquitate illius temporis historicis; 290 partim saga-
 citate ingenij abhorrentis ab impudente coniectura;
 291 (quorum vestigijs non infeliciter pauci etiam
 alij ingressi sunt, neq; aspernandum adiuumentum
 attulerunt huic optimo libro) 292 magistri studio-
 se pueritie maximam partem epistolarum ad Atti-
 cum missarum, in quibus sermonem familiarem &
 extemporaneum videor mihi agnoscere, recte in-
 terpretari, ni fallor, poterunt. 293 Neque pude-
 at aut illos, aut etiam me, fateri, ignorare nos, de
 quibus homines longè doctissimi dubitarunt, quæq;
 se ignorare præ se tulerunt. 294 Sophistarum e-
 nim proprium est, quod sapientie studiosos minimè
 decet, scientiam simulare. 295 Paullatim verò ad
 grauiorum librorum interpretationem admittimus
 adolescentulos: in quibus scilicet libris & plus sit
 rerum politicarum, & eloquentia.

296 Neq; excluderim, qui mediocri profectu e-
 runt, ab historicis. 297 Neq; nunc dicam de utili-
 tate, quæ hinc redundauerit, præter linguæ cog-
 nitionem; sed facilitatem præterire eo non possum,
 ut consilij mei ratio appareat. 298 Neq; tamen non
 intelligo, qui adultior sit & doctior, animaduersu-
 rum; quæ non solum nullus adolescens, sed ne qui-

dem quisquam, nisi & bonis litteris egregiè eruditus, & usu rerum confirmatus animaduertit. 299 Nam hoc ita in uniuersum se habet, etiam de ijs, quæ initio collocari, non ut tenuia, sed ut in optimis aliquanto inferiora, quæ tamen non parùm philosophici coloris imbibierint.

300 Cum verò scriptorum utriusq; generis, tum horum, qui soluta, tum eorum, qui ligata oratione scripserant, mentio paullo antè à me facta sit: 301 non tamen iubeo planè adhuc Latini sermonis rudibus proponi poëtas, sed qui aliquò progressi sint: 302 quod non tam à re definiri potest, quam à præceptore, qui sapiat, & singularum ingenia & progressus consideret, constitui debet. 303 Non arcendi sunt in plures annos à poetis, quod hoc ipsum studium cum summam habeat utilitatem, 304 (ut enim præteream usus longè ampliores, introducit in pleniores & interiorum sermonis intelligentiam) 305 tunc habet suauitatem incredibilem, qua cum omnis ætas, tum maxime hic flos ætatis, sua sponte ad hilaritatem pronus, incredibiliter afficitur. 306 Neq; tamen huc sunt adhibendi citius, quam & prima illa summeq; necessaria grammatica ad unguem teneant, & ex Latinis quæq; non difficillima intelligant. 307 Sin secus fiat, implicabuntur ingenia diuersis & pane contrariis studijs. 308 Scitum enim est: poetas videri lectionis poematum imperitis veluti aliâ linguâ locutos: 309 & hodie, quæ

qui nihil huius generis pueri delibarunt, veluti à spi-
 ris, sic à poetarum lectione abhorrent, unâ honestis-
 simarum animi voluptatum carentes in perpetuum.
 310 Sed cum nominauerim oranium principes, non
 equidem propterea sum nescius, esse in Catullo & Lu-
 cretio, quæ grauissimis de causis proponi ad expli-
 candum non possint. 311 Neq; minus tamen pote-
 runt quedam argutissima Catulli epigramata, &
 illustres loci ex Lucretio, uti aurum & gemma è
 œno deligi. 312 Abhorremus enim & nos ab im-
 puris, ab impijs, & absurdis; uti homines mode-
 stos, religionis in deum obseruantes, & veritatis in-
 dagatores hæc auersari toto pectore par est. 313
 neq; minus ad eiusmodi quadam vias, ut ita loquar,
 mentis obstruendas existimamus, quam Ulysses so-
 cijs aures cera obturasse canitur; 314 cum ille se
 ad malum vinculis firmiter constringi iussisset, ne
 audirent suauissimas Sireum cantiones; quibus
 forte deleniti, conuerso ad eas cursu, miserimè
 ad unum omnes interissent. 315 Referam hic, cui
 & infra locum destinaueram, Apollinis oraculum.
 Respondit enim, cum sciscitarentur Athenienses,
 quid facerent, ut bonorum virorum proventus es-
 set in ciuitate? 316 Si, inquit, puerorum auribus,
 quod præstantissimum & pulcerrimum est, instilla-
 bitis: 317 neq; intelligebat aliud, quàm vitæ benè
 instituende sententias, & diuina præcepta rationis:
 318 ut turpium, quæ eadem & vilissima sunt, ne
 qui-

quidem sonus permisceretur, si hoc pacto informari
vita hominum possit.

319 Sed ex quibus Latina lingua proprietates, pu-
ritas, elegantia recte petatur, satis dictum est:
sequitur, ut dicamus, quomodo Latinos scri-
ptores interpretandos existimemus. 320 In
hoc namque non minus peccatur, quam in tradendis
grammaticis. 321 Primum enim, quantas aliqui
ad interpretandum machinas adhibent, dum in re
neque abstrusa neque difficili, supra modum laborant!
322 exempli causa, in fabula scena, aut brevis e-
pistola interpretanda, argumentum conscribunt &
longius & obscurius us, quae illustranda susceperunt:
aut ab alio descriptum, veluti ex Musarum pene-
tralibus, depromunt: 323 aut, cum ipsi in hac
re nihil possint, neque tamen deprehendi velint ut
fuci alienarum vigiliarum; vix mediocriter exco-
gitata, suo arbitratu, vel addendo, vel demendo,
vel mutando deteriora facta, ostentant pueris, tan-
quam oracula. 324 Hoc autem non agitur, ut
pueri aut tirones magistros admirentur: quod qui
respiciunt, pusillo animo esse dicerem, si ullo prae-
dicos esse existimarem: 325 sed ut ex us quam plu-
rimum proficiant, in quo ipsi genere ab illis doceri
velint, & hi se docturos profiteantur. 326 Quod
de talibus summis sentio, idem sentiendum est de
partium explicatione: 327 quae partes, non ipsae
obscura, ut lucis egeant; sed ita plana, ut, si quid
ad-

adycias, potius obscurentur; peregrinis commen-
 tarys minimeq; ad rem presentem pertinentibus im-
 plicantur. 328 Hoc est videlicet non in lente
 unguentum, ut dicitur, sed uni panacea guttula
 multos aquæ cyathos affundere. 329 Quid? quod
 præterea multa bona hora percunt: immo ut ipsa o-
 mnis adolescentia commentariis illis malè natis, di-
 ctandis & exscribendis, aut præterit aut interit?
 330 Temporis autem & ætatis, eius præsertim,
 quæ ipsum verè existimatur vitæ hominis, iactura
 maxima est. Sed simili in re hoc antè etiam questi-
 fuimus. 331 At miseri adolescentes interea falso
 ducuntur gaudio, dum prægrandes aceruos annota-
 tionum eiusmodi colligunt, & uti persuadentur, se
 thesauros reperisse, vigilantes somniant: sed, ut est
 in proverbio, thesaurus ille carbones. 332 Quod
 aliqui serius intelligunt, quos cum vix ipsis aliqua
 sui retexendi copia datur, laborum & temporis tan-
 dem piget & pœnitet. 333 Hanc tamen dictandi
 consuetudinem iam è multis ludis litterarijs explo-
 sam esse, & audio & gaudeo supra modum. 334
 Utinam hæc peruersa ratio longè etiam gentium
 exsulet ab Academijs Germaniæ! cum ipsa sit non so-
 lum pestis temporis, sed & inscitia velum. 335
Quis namq; vel puer, qui litteras didicerit, huius
 generis verè compilata quedam scripta de scripto a-
 lijs non recitet? 336 Neq; est, quod quis ex doctissi-
 mis hominibus unum atq; alterum mihi nominet,
 qui

qui hoc factitarint, aut hoc pacto auditoribus di-
 cat consuli. 337 Neq; enim, quae aut aly fecerint,
 continuo probare; aut quae viri magni fecerint, sequi
 oportet: neque non magis retardari, quam adiua-
 ri discentes existimandum est. 338 Sed de hoc a-
 genus plenius, si, quod olim in animo habuimus,
 aliquid de emendatione Academiarum, non tam de
 mea opinione, quam de doctissimorum hominum
 sententia commentabimur. 339 Quae enim ratio-
 ni consentanea esse credimus, ea neq; amplectimur
 prius ipsi perpetuo, quam probari non a vulgo, cu-
 ius censura nihil fieri potest impurius, sed a doctis-
 simis intelligamus: quin pleraq; prodimus ab illis ac-
 cepta; 340 neque tam pro nostris utimur, quam
 quae vera, quae recta sunt, cum alys communicare
 studemus: idq; & hic sequimur, & sequomur per-
 petuo etiam in aly. 341 Missis igitur illis amba-
 gibus, reddet scriptorem magister & pluribus ver-
 bis, ut mentem illius aperiat, & paucioribus, ut
 dictionum proprietatem ostendat. 342 Nam,
 quo ordine naturali quae dictio quam sequatur, ut
 observandum moneam, minus esse opus arbitror.
 343 Video enim hoc sanctè observari, idq; probo;
 neque aliter faciendum censeo, priusquam egre-
 gios progressus pueri fecerint, atq; in Latini sermo-
 nis potissima partis possessionem venerint. 344
 Fiat autem interpretatio pro captu discentium, siue
 nostro sermone, siue Latino. 345 Nam ut non du-
 bium

bium est, in erudiendis primis tironibus maternam
 linguam vertendam Romanam: 246 ita probarim
 hanc rationem aliquot etiam annis servari, adhi-
 bita hac cura, ut luculenta adhibeatur interpreta-
 tio, 347 verbis vernaculis, non vulgaribus, non
 sordidis, non iam male excogitatis; 348 sed pro-
 prijs, puris, lectissimis, adhibitis loquendi modis
 itidem, in ipsa Germania natis. Hoc verò ego non
 sine causa tantopere urgeo. 349 Cum enim in La-
 tino sermone comparando plurimum laboremus,
 idq; nos multis de causis rectè facere arbitremur;
 an planè incultam esse nostram, & in situ iacere pa-
 tiemur? 350 Quæ, malum, hac inscitia est, non cu-
 pere eleganter & politè cum nostris hominibus lo-
 qui? 351 Intueamur item alias gentes. Hispani
 suam linguam summo studio excolunt; suam Galli;
 suam Itali; 352 & in Italia Apennini incole Tusca-
 nam, quam ingeniosissimi homines incredibili dili-
 gentiâ ad perfectionis fastigium usq; prouexerunt,
 353 ut putetur omnibus omnium nobis cognitarum
 gentium longè hodie antecellere: 354 quod mihi
 facile etiam persuadent, neq; plurium idiomatum
 radi, neque ad credendum facili. 355 Non igitur
 indignum nobis erit, in nostra aliquid egregium mo-
 liri. quod non eò dico, quasi hoc penitus negligi exi-
 stimem. 356 Neq; enim ignoro, in aulis regum,
 & passim in rerum civilium explicatione, in stilo
 formando laborari plurimum: etsi non equè ab o-
 mni-

omnibus hoc feliciter geritur. 357 Nam qui id sine litteris faciunt, ut plurimum inquinatus loquuntur inculta multitudine, saepeq; in affectationem prolapsi monstra orationis pariunt. 358 Qui non exclusi bonis artibus, & hac praesertim, qua dicendi appellatur, bene loqui student, & in hoc sese exercent; praestant aliquid laude dignum: 359 cumq; bene mereantur vel hoc nomine de patria, non immerito sunt in admiratione in vulgus, in gratia apud reges, in laudibus intelligentium. 360 Verum ego, quo haec res a multo pluribus colatur, & rectius perficiatur, velim id fieri, quod Graci Romaniq; homines faciebant, ut a pueris bene loqui discant. 361 Cuius rei initium esse videtur, dictionum delectus, proprietas & puritas. 362 Neq; bene dicendi tamen fontem esse nego rerum inventionem: sed plenior huius loci explicatio alio pertinet.

363 De uno interpretandi genere satis esse dictum videtur: alterum est, ut qua latine interpretationis egent, verbis magis perspicuis latine reddantur. 364 Latine, inquam, ne petantur ex face vulgi, hodie, ut putatur, latine loquentium, semibarbara tantum inflexione, ceteroqui Romana civitatis in uniuersum expertia: 365 qua ego non es inauratum, sed aurum ere deprauatum existimem. 366 Atq; id non est latinam linguam docere, sed, quam docere videaris, corrumpere. 367 Hoc igitur fideli quoq; magistro non est obiter agendum; sed

sed videndum sedulo, ut in hac declarandi scripto-
rum ratione, impuri nihil admisceat. 368 Præter-
quam verò, quod sua id industria prestare conabi-
tur; auxilij ferè, quantum satis est, petet ex inter-
pretibus. 369 Ut enim dictandi rationem mini-
mè probo: ita magistris, & veteres & novos com-
mentarios legendi necessitatem, si me audient,
impono: 370 sed probos, utriusq; generis; ut sunt
veteres, Asconius, Donatus; recentes Sebastianus
Corradus, Paulus Manutius, M. Antonius Mu-
retus, Dionysius Lambinus, Michael Brutus, &
aly; 371 quorum aliquos haud ignobiles & Ger-
mania eaidit, ignotos nemini. 372 Neq; huc
parum conferent libri variarum lectionum, tum Pe-
tri Victorij, tum aliorum, qui eius studium, ad-
modum equidem laudabile, atque utile studiosis
literarum, emulati sunt: 373 qui repente exorti
plures fuerunt: neq; non quisq; horum aliquid lau-
de dignum præstitisse putandus est. 374 Conferet
autem longè plurimum ad intelligendos Latinos
scriptores, Ciceronem maximè, lectio librorum Ca-
roli Sigonij, 375 quires Romanas incredibili stu-
dio suo, & acri iudicio, è profundis tenebris, quo ad
eius fieri potuit, eruit, & in clara luce collocavit:
376 ut si quis Apellis tabulam è cœno erutam, & dein-
ceps abstersam spectatoribus in medio foro statuat.
377 Hæc autem, discipulorum utilitatis causa, ma-
gistris precipio, siue etiam adolescentibus, qui nul-

tum profecerint in utraq^{ue} lingua. 378 Nihil enim
 horum negligendum ys est, qui ad eruditionem
 contendunt. 379 Nam quibus propositi sunt sta-
 tim ab initio honores & questus; ys neq^{ue} nos consi-
 lium damus; neque Musa amica esse possunt: 380
 quibus maximus questus est scientia, & dignitas
 haudquaquam adumbrata. 381 Sed dicat aliquis
 me grane onus interpreti imponere, praesertim qui
 pueros doceat in ludo litterario; 382 cum, qui hoc
 sequantur, in scholis etiam regijs tales reperiantur
 pauci admodum. 383 Nobis nunc propositum
 est, non quae in Academys desiderantur, persequi,
 quae sane plura sunt; sed ea ostendere, quae in ludo
 litterario & requirantur, & esse possint. 384 Nam
 quod quis de difficultate negotij dicat, nihil est. 385
 Idem enim largiatur necesse est, quod suademus
 fieri posse: & si res eo deducatur, recte fieri: atq^{ue} eo
 deniq^{ue} rectius, quo fit difficilius. 386 Sed quod
 dixi de posteriore interpretandi modo, id omnino
 sequendum est poetas interpretanti: 387 quos si
 nostra lingua coneris vertere, quod vix fieri recte
 existimem, incidas in varios scopulos, unde solue-
 re haud facile possis. 388 Vbiq^{ue} enim translatio-
 nes, quarum & ratio ostendenda est, & proprijs
 vocabulis aperienda sunt, si fieri possit; 389 quo-
 niam satis multa in defectum propriarum successisse
 indicantur, quas non delectatio celebravit, sed
 necessitas inopia coacta genuit.

390 Loquar verò nunc de altero etiam &
 grauiore interpretis officio, quodq; maioris mo-
 menti est. 391 In quo si ita se geret, uti ipso dignum
 est, non iam ille informabit os discantis, sed ani-
 mam, mores, & vitam uniuersam: 392 cuiusmo-
 di aliquem virum respublica suis ciuibus, unus-
 quisq; proprijs liberis expetat. 393 Nam ut de pri-
 uatis dicam, nemo non suos velit esse quam optimos
 & beatissimos. 394 Nec verò optimi sine educa-
 tione ad virtutem, neq; sine virtute beati fient,
 neq; privati neq; ciuitas. 395 Pedetentim verò
 progressus, ad ipsam nucleum venio. 396 Nemo
 enim putet, de quibus dixi haecenus, & de quibus
 deinceps dicturus sum, ea esse ultima quae specta-
 mus, & nos per se expetenda dicere. 397 Ludum
 litterarium, non locum ignauum otij & artium,
 vel vanae ostentationis, vel inanis subtilitatis: 398
 sed officij officinam, siue, ut Perse loqui solebant,
 scholam iustitiae esse volumus. 399 Non enim
 audiemus illos, qui de moribus, dum libros Latinos
 discunt, pueros & adolescentes non esse monendos
 existimant; 400 sed eos ad eam, quae de moribus
 est, Philosophie partem reuocant. 401 Ibi qui-
 dem omnem illam de vita recte secundum ipsam ra-
 tionem instituenda disputationem cognoscent plenius:
 402 neque tamen non hic bonis eos sententijs im-
 bui, & ad elegantiam & probitatem vitae educari,
 & moribus frudere tum discendis, tum perficien-

dis, & rectum est & necessarium. 403 Passim
 in scriptoribus, quos tenera aetas in manibus habere
 iubetur, apparet, quæ vita sit mortalium: 404 &
 in comædys pæne ob oculos ponuntur hominum a-
 ctiones omnis generis. 405 Sed quis velit omnia
 simpliciter ea & nude referri pueris, neq; ullum in-
 terponi probi magistri iudicium? 406 Hinc natum
 est, quod tamen nollem factum, & huic incommodo
 aliter obuiam iri poterat, ut comædia, præsertim
 Græca, venustissimæq; omnium Menandri, ex oculis,
 ledione, & memoria hominum in perpetuum subla-
 ta, funditus perierint. 407 Magister igitur, ut se-
 dilus animi discipulorum pater, ostendet pueris,
 quam hæc, vel dicta, vel facta honesta sint, & quæ
 sequenda; quam fæda & turpia, atq; in perpetuum
 fugienda: 408 discernet ab impuris pronunciatas sen-
 tentias, à regulis recte viuendi, ore prudentum
 proditis, ut à teneris has admirari discant, illas ex-
 secrari: 409 reprehendat senum stultitiam, iracun-
 diam, auaritiam: adolefcentum amores, leuitatem,
 insaniam: 410 seruorum improbitatem, audaciam,
 fraudulentiam: mulierum rixas, odia, impudici-
 tiam; 411 militum arrogantiam & iactationes:
 parasitorum ignauiam & assentationem! 412 sed
 quid hæc omnia attinet referre? quæ vir doctus,
 idemq; bonus ipsemet animaduertit, monente
 nemine: 413 neq; patitur ijs inquinari suæ fidei
 ereditos: quis prædicat contraria, laudatissima
 incul-

inculcat exempla, 414 lectissimas sententias hinc inde eruit & depromit, & his animos teneros non leuiter tingit, sed profundè etiam, quantum in ipso est, imbuit. 415 Atque ita deniq̄, ut Horatius cecinit:

Ostenerum pueri, balbumq̄ poeta figurat:

Torquet ab obscenis iam nunc sermonibus aurem,

Mox etiam pectus præceptis format amicis:

Asperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ.

416 Rectè facta refert: orientia tempora notis.

Instruit exemplis: inopem solatur & agrum.

417 Neque refert, etiamsi de sui seculi poetis dicat.

Cum enim hoc inferioribus tribuat, quanto id magis ab Homero, & quotquot ex hoc fonte riuulos pleniores deduxerunt, petendum iudicasse existimabimus?

418 Neq̄, vero eos fructus lectiōnis poetarum uberimos tantum ostendit Horatius: sed ipse, si quisquam alius, hoc præstat. 419 Non enim obscure hoc agit, quocunq̄, te veritas in ipsius poematum diligenti lectiōne,

420 ut nos ab otio, somno, ignauia, à voluptatibus corporis, & impuris vitæ lenocinijs, ab ambitione, ab auaritia, ab animi impotentia quarumcumq̄, cupiditatum, 421 à metu infelicitatis & mortis, à curis & mœstitia, omnibusq̄, animi morbis, qui & innumeri sunt, & grauissimi, vindicet: 422 contra vero transferat ad vigilias, labores ruris & militiæ, & rerum gerendarum studia, 423 ad virtutem & sapientiam, ad contem-

ptionem inanis gloria, ad mediocritatem, ad forti-
 tudinem, 424 animiq³ equitatem, in secundis, &
 aduersis rebus, & cetera, quæ ubiq³ occurrunt non
 negligenter Horatium legentibus. 425 Neque
 minus rectè magistrum sapientia quis dixerit Ho-
 ratium, quam philosophiam in theatrum produxis-
 se Euripidem rectè dictum fuisse creditur. 426 Plu-
 ribus verbis egi de Horatio, quem dolerem non
 magis tractari; versandum autem existimarem se-
 dulo, tum à pueris atq³ adolescentibus, tum à viris
 grauissimis: 427 etiam ab ijs, qui reimp. ge-
 runt, non solum, qui privatim vitam, mores &
 consilia sua rectè instituere laborant: 428 à qui-
 bus ipse neq³ facile, & fortasse teri non posset, (quæ
 est certè & oblectationis & utilitatis iactura non
 exigua) si ab iisdem pueris cognitus antè degusta-
 tuus non fuisset. 429 Non faciam autem, quod
 ab hoc loco non erat planè alienum, ut plenius de
 hac re, quid rectè fieri existimem, aperiam, & hu-
 ius interpretandi rationis & modum præscribam,
 & exempla subiiciam: 430 sed vnde meliora peti
 possint, quam ego possim inuenire, libenter indica-
 bo. 431 Primus occurrit mihi, quem principe
 quoq³ loco nobis vsui futurum putem, Plutarchus
 432 scriptor equidem grauissimus, cuius ingenij
 monumenta omnia profundam eruditionem, & stu-
 dium virtutis ardens redolent. 433 Cumq³ vide-
 rit & tradiderit permulta ad mentem animumq³
 expo-

expoliendum, perscripsit etiam perutili commen-
tario, hanc quam dico rationem: 434 cui com-
mentario indicem fecit: quo pacto puero postea au-
diendi sunt. 435 Neq; Basily liber negligendus 2.
videtur, quo docet, ut ex Græcis auctoribus capi-
endus aliquis fructus sit. 436 Etiam opusculum
habeo apud me hominis doctissimi Hieronimi Mei, 3.
quod mecū olim Romæ communicavit, dignum luce
& lectione, 437 ubi rem ipsam etiam exemplis è Pin-
daro productis eleganter ostendit, & velut ob ocu-
los ponit: 438 neq; non in animo habeo id ipsum,
occasionem nactus, edere: ne quis hac in parte fi-
dem & beneficentiam meam desideret. 439 Cu-
pio enim constare etiam omnibus, nemini me quid-
quam bonorum invidere; 440 sed contra, cogi-
tationum laborisq; plurimum referre ad utilitatem
iuuentutis, quam soleo publicam esse apud me mini-
mè dubitare.

441 Sed de interpretatione satis fortasse dixe-
rimus, aut etiam alicui nimium dixisse videbimur,
qui vel hæc, vel meliora teneat. 442 iam de
exercitatione loquendi & scribendi, expo-
nemus sententiam nostram. 443 Sermo enim
& scriptio in re proposita, aut coniunguntur, quod
non admodum pugnaverim; aut hæc illum non lon-
go spacio subsequetur, quod videtur congruentius:
444 vel eo quod linguam natura statim dedit; ca-
lamus aliunde decerpendus, arte accendendus, manu

dirigendus est. 445 Ita ambo coniungam, ut pri-
 mum de loquendi exercitatione dicam uno verbo
 atque altero. 446 Neq³ in presentia disputabo,
 rectène multum diligentia impendamus arti Lati-
 nè & loquendi & scribendi? certè ea nunc est ho-
 minum opinio: 447 Et cum Christiani orbis gen-
 tes pluribus utantur linguis, & hæc communis Chri-
 stianitatis inter doctos esse videatur; 448
 purè & rectè, vel mediocriter ea uti, rectius
 est, quam inquinatè & perperam. 449 Pri-
 mis tironibus necessitatem loquendi imponi,
 penitus falsum est. Sic namque non Latinam
 discunt, sed linguam nouam & semibarbaram gi-
 gnent. 450 Verùm qui pleraq³ iam, quæ de rebus
 minutis & vulgaribus sunt, intelligunt, assuefaci-
 ant paulatim ad sermonem, ut saltem non pessimè
 balbutiant. 451 Infantes enim balbutire rectum
 est, ut postmodo claro sermone utantur. 452 Sed
 omnino hoc sedulò caueri velim, ne puer in hac par-
 te plus præstare cogatur, quàm ferre possit. 453 Ne-
 que censeam inutile, præscribi aliquando vel plenos
 eiusmodi sermones seu dialogos, qualibus utuntur
 pueri, de rebus scilicet puerilibus, minimeq³ serijs;
 454 Neque tamen ea excluderim, de quibus inter
 se vulgus agit; quando neq³ hæc admodum abhor-
 rent a capite puerorum, in quibus sit paullulum in-
 genij. nullius enim qui sint, a schola nostri exclu-
 dimus. 455 Pedetentim itidem ad stili exerc. utio-

nem accedendum est: neq; alius huic teneræ atati
 usurpandus, quam teneris adhuc digitis conveniat.
 456 Ne proponatur pueris argumentum,
 quod etiam magistro tractatum sit difficile, quodq;
 fortasse, si tractandum suscipiat, tractet parum
 feliciter. 457 Ne condant orationem, ante quam
 & orationes intelligant, & rhetorica didicerint.
 458 Audacia fomitem esse hunc dixeris, & loqua-
 citatis: quarum hæc à bonis moribus abhorret, at-
 que etiam in muliere vituperatur: 459 quem se-
 xum ut silentium ornare dicitur, ita viros pru-
 dens, atque haud in lingua nata, oratio. 460 que
 talis haud sit, exitio sæpe esse solet rebus publicis. 461
 Quibus enim verborum abunde iam in ore nascitur:
 hi quoque sapientie opinione intumescunt, sibiq;
 persuadent, nullos mortalium res civiles, & disputa-
 tiones religionis, & intelligere & tractare rectius. 462
 Atq; utinam hoc genus temeritate sua abuteretur
 tantum ad ambitionem suam & auaritiam; non
 etiam in perniciem honorum, & euersionem reipu-
 blicæ! 463 ut taceam libros ineptissimos, siue
 absurditatem opinionum, siue infantiam orationis
 respicias; qui & ipsis scriptoribus dedecori sunt, &
 ob multitudinem etiam patria. 464 Sed, ne lon-
 gius ab instituto digrediar, magister, satis ille et-
 iam doctus, suæ inuentionis & dispositionis argu-
 mentum non proponet discipulis, quos in Latina
 lingua exerceat. 465 Intelliget enim, se arti-
 ficem

ficem orationis, & veluti architectum non esse. Est autem illud magistri dicendi eximij, aut eloquentia etiam prestantis viri. 466 In uniuersum enim in unaquaque re, tum maxima, tum minima, videre oportet quæ insint; & quibus locis uti, tum propriis, tum communibus, conueniat; 467 ut tractandi sint singuli; quo modo, tanquam in acie, instruendi; quæq; huius generis sunt; 468 non solum eum, qui orationem conscribat, sed & hunc, qui discipulis rationem conscribenda orationis velit ostendere, & eos in hac re rectè & feliciter exercere. 469 Hoc mihi profectò non sumpsero, qui vulgares eruditionis limites transisse iudicet; aut si audebo, faciam cum magna cura; 470 & ubi ingenij nervos intendero, mihi non satisfaciam tamen; nedum alijs acribus scriptorum censoribus. 471 Ego vero multos esse peruelim, & qui dicendo ac scribendo possint plurimum, 472 (& enim genus humanum, & patriam esse cupio quam ornatissimam, ipsamq; nomen imperij omnibus de causis tenere) 473 & qui summe omnium artium, (supra quam tamen unicam philosophiam, etiam altissimo loco, colloco) rationem veram ostendat adolescentibus, ingenio prestantibus, & illius discenda cupidis. 474 De oratoribus non dicam, cum omnibus seculis pauci boni exstiterint; perfecti quam paucissimi: 475 neq; tamen non, qui scribunt, sunt quam plurimi etiam hodie, ebrij opinione scien-

scientia. 476 Magistri eiusmodi sunt rari, si modo
 uspiam sunt. Neque enim statim ii sunt, qui se eos esse
 profitentur: 477 Quod si sint, vel qui sint, eos ego ab
 exercenda adolescentia non deterream: quin rogem,
 ut hoc sane magno beneficio & discentes afficiant
 & patriam. 478 Neque enim ego is sum, qui
 hoc fieri posse negem, aut pratermittendum existi-
 mem. 479 Sed qui faciat, eum artis sue magi-
 strum esse velim; ut sit, cen Theon ille, qui idem
 suadet, 480 & huius artis progymnasmata que-
 dam egregia ipse tradit; cum integram artem alijs
 interim explicandam relinquat. 481 Ego enim
 minime gentium improbauerim scholam rhetori-
 cam Isocratis; e qua tot principes, velut ex equo
 Troiano, prodierunt: 482 neque AEschbinis, qui
 iussus in exilium ire, rhetoricam post Rhodi docuit:
 neque Molonis, qui ibidem in docendo exercuit no-
 bilissimos Romanos, etiam multis post seculis: neque
 Apollonij, ex quo & M. Tullius didicit: 483 neque
 M. Tully, quem turbulento reipub. statu cum
 agendo nihil publice proficeret, & quiescendo sibi
 privatim consuleret, neque puduit, neque piguit, sue
 artis se magistrum profiteri; 484 qua tamquam
 instrumento, & in foro, & in curia, cum salute
 patrie, & summa laude usus fuerat, & aliquan-
 to post utebatur. 485 Sed nondum, neque hoc
 commentariolo, de ludo rhetorico agemus. 486
 Incidimus autem in hanc mentionem, ut eos repre-
 hen-

henderemus, qui in puerilibus ludis, cum non doceant Latinam linguam, tamen declamando exercere discipulos videri volunt. 487 nimis equidem stultè atque adeo non minus, ac si infantem, qui humi dum repat, curriculo percurrere aliquo, vel longinquum iter suscipere iubeas. 488 Volumus enim puerum doceri Latinam linguam, primum omnium ut intelligat: deinde ut scribendo & loquendo usurpet. 489 Pueri sermonem nunquam transire vulgaria, dubium nullum est; scriptionem cogere ad magna, uti diximus, insipientia. 490 Itaq; nobilem exercitationem rhetoricam, ab ea schola, quam hic instituimus, vel certè ab hac tenera etate, neq; dum in sermone confirmata, neq; instructa dicendi præceptis, neq; vllò de rebus grauioribus iudicio prædita, remouemus. 491 Igitur proponet magister quotidie pueris in hoc tirocinio, primum breuiorem epistolam, vel narratiunculam e Cicerone, redditam sermone vernaculo, quam illi Latine reddent. 492 Sic imbibent & puritatem sermonis Romani, quod nihil peregrini assuet in emendando corrector; 493 & ad bonam sensa animi exprimendi rationem assuefient statim: quod est profectò opera præcium, uti per se patet cuilibet. 494 Idem faciet paulatim de longioribus epistolis, & plenioribus narrationibus. 495 Vidi, qui hoc sequerentur in docendis admodum pueris, vel ab alijs, vel etiam à me

monitijs

moniti, cum singulari discentium fructu, aliquo etiam suo. 496 Cum enim tam res, quam verba, accuratè considerare necesse haberent, & discipulis eodem modo ad considerandum proponere: 497 ipsi quoque, si quid esset scribendum, non temerè, ut fieri vulgo videmus, ad scribendum ruebant; 498 sed ingenij aciem in omnes partes vertebant, ut viderent, quid alienū esset, aut incommodum; quid ad negotium maximè faceret: 499 quibus verbis, neque humilibus neque monstrosis, sed & idoneis, & luculentis cogitationes consignarent. 500 Itaque vel ipsi orationis artifices fiebant probi, vel ad eos proximè accedebant, & sui similes efficiebant alios, nullo pane negotio. 501 Secutus fuit hanc, quam dico, rationem, Henricus Siberus, qui nobilissimorum, & principum filios sedulo rectèque instituit: 502 neque sibi sumpsit, ut, quæ ipse inuenisset, discipulis præscriberet: quamquam scribendo valet plurimum; ut, si velit, se in architeclis orationis profiteri possit, a me certè in illis numeretur. 503 Largiar enim hoc non amicitia nostra, sed veritati; cuius nisi rationem haberem, eius viri nullum tuto facere poteram mentionem. 504 Neque ipse cupit a me laudari, neque, ut ipsum laudem, eò dico, sed potissimum, ut meam, vel potius Flamini, & huius generis hominum doctissimorum sententiam, etiam huius viri, cum primis versati in hac palestra, auctoritate & iudicio confirmem. 505

Sapo

Sape enim mihi affirmavit, hac via se bona indolis
pueros brevi tempore, sed quotidiana, neq; unquam
intermissa exercitatione, introduxisse in Latina lin-
gua possessionem: 506 ignaros & expertos utriusq;
barbariei; unius, quae in consideratione rerum;

507 Nam quae his grauior barbaries, (haec enim
multiplex est, ut simplicitas in nullo inest malo)
grassetur in mortalibus. huius disputationis non
est, sed eius, quae de uniuersa vita hominum a-
git.

508 Cum verò etiam videam, pueros ex-
erceri in scribendis versibus; quid hac de re
mei iudicij sit, nunc exponam. Ordine enim
fecero. 509 Elegans eruditio sine poetarum cogni-
tione non perficitur: quod neminem dubitare ar-
bitror, qui litteras primoribus labris attigerit.

510 Quin & quidquid fuit philosophorum vete-
rum, nemo omnium abhorruit à poetis: 511 sed us-
usunt, tum ut condimentis, delectationis gratia;
tum ut testimonijs sapientum, in rebus serijs & se-
ueris: 512 quod cum alijs, tum in principibus
ceterorum, Platone & Aristotele, videris est; quorum
uterq; hilaritatem monumentis suis aspersit studio,
qua etiam politi homines sermonem familiarem
conatebant. 513 Neq; non hoc exemplum imita-
bantur Latini homines, & in his potissimum do-
ctissimi; 514 quod in haud multis, quae exstant.

Varro

Varronis, in pluribus M. Tully apparet. 515 Igitur recte existimant, quod nos quoque probauimus, poetas etiam pueris esse interpretandos. 516 Neque etiam non necessarium iudico, ut de ratione carminum doceantur: cum haec res per se tenuis, ut putatur, & facilis, ut apparet, ad intelligendum saepe quoque aliquid conferat. 517 Neque etiam improbem in scribendis versibus exerceri pueros. Per enim elegans res est, & ingenia cum oblectat, tum acuit. 518 Cogi tamen nolim, qui non ignauia hoc studium negligunt, sed natura ab eo videntur abhorrere. 519 Neque enim necesse est multos in re poetica multum proficere: 520 (tantum enim satis est, ut hoc genus optimorum scriptorum intelligatur, & quantum inseruit rationi pedestris orationis construenda) neque multum profecerit, qui eam inuitus colat. 521 Sed qui huc veluti afflatu aliquo rapiuntur, absterrendi non sunt, sed adiuvandi, non multa scriptione, sed modica: 522 quorsum enim versuum sexcentorum profusio, in quibus nativi succi nihil insit? 523 & multa poetarum lectissimorum utriusque linguae lectione, accurataque consideratione, qui ipsis exemplo sint. 524 Insuper eos monebimus, qui ad hanc diuinam facultatem aspirabunt, si in ea volent aliquando prestare, & solidam laudem mereri, 525 ne solis ingenij viribus nitantur, neque exemplis summorum artificum: sed existiment, itidem esse sibi poetica, sicut

rhe-

Varr-

rhetorica discenda sunt eloquentia amatoribus :
 526 neq₃ id tantum, sed & in omni genere opti-
 marum disciplinarum haud vulgariter versandum;
 neq₃ in ipsa philosophia hospitem esse oportere. 527
 Egregios vero huius aetatis poetas plerosq₃, quorum
 aliquibus & nomen huius omnium scientiarum re-
 gine odio sit; 528 qui vix unius honeste artis
 principia imbiberint; qui esse poetarum artem a-
 liquam veram forte nunquam auribus acceperint;
 229 qui nihil temporis aut diligentiae in Graecis &
 Latinis poetis cognoscendis sibi ponendum putave-
 rint; 530 qui etiam ingenio nullo sint; aut si
 quid sit, id vitæ ratione barbara corruerint; 531
 qui eius lingua, in qua se aliquid Musis & Apolli-
 ne dignum canere profiteantur, pene in uniuersum
 expertes sint! 532 Satis hoc est mali, satis insci-
 tie, omnem namq₃ me pudet dicere.

533. De lingua Latina plus satis videmur dixis-
 se: omnia certe, quae quis quaereret, neque potui-
 mus persequi, neque sane debuimus. 534 Nam-
 que & ad cogitandum de id genus alijs occasionem
 dedimus, viamq₃ huic rei veluti munuimus curio-
 sis huius muneris; 535 neq₃ omnes omnia ignora-
 re arbitramur; quod est extrema & odio digna ar-
 rogantia: 536 nisi forte etiam sic nimium nobis
 sumpsimus, quod ea dixerimus, de quibus multi
 non dubitent. 537 Sed quia hoc instituimus, di-
 sendum quoq₃ erit de Graeca lingua nonnihil :
 quod

quod faciemus ultimo loco. 538 Vtraq³ enim ei
opus esse censuimus, qui ad eruditionem aspiret
haudquaquam adumbratam: neque plurium scien-
tiam requiri existimamus. 539 Nam & hic er-
ror detegendus est, de quo & ante nonnihil diximus,
in nuda linguarum cognitione minimè consi-
stere eruditionem; neq³ unius, neque plurium, ut
multi hodie falso existimant: etsi hæc opinio neuti-
quam recens est. 540 Nam & olim putabant
pereruditum esse, qui plurium gentium literas nos-
set, Persicas, Gracas, Syrorum, Phœnicum, & li-
bros omnis generis versaret: 541 neq³ tali homine
quidquam fieri posse sapientius aut doctius: 542
cum reuera hæc sit pusilla, inuálida, neque ex pers
discriminis eruditio, si quis eam iniuria ita nominet,
cum reuera sit fraudum non postrema, quod & Dion
Chrysostomus ait. 543 Non tamen indignum est
fortassis homine liberali, cum gentium pluribus ser-
monem posse conferre: 544 neque hoc magis id
est aut doctrine caput, aut deniq³ eiusmodi, quod
in multis, vel in homine erudito quis requirat.
545 In Mithridate, in alijs item regibus, qui
pluribus, neque ὁμογλωττοῖς populis longè lateq³
imperant, (causa enim sunt) laudem magnopere:
546 forsân etiam requiram, præsertim cum & im-
peratorie leges mecum faciant, quæ imperij epho-
ris plures linguas imperent. 547 Mercatores no-
stri, qui in Dania, Suetia, Mosconia, Polonia,
D Gallia,

Gallia, Britannia, Hispania negotiantur, 548
 ut quisq³, ubi mercaturam facit, eius gentis linguam
 calleat, è re sua esse iudicant, & sapiunt, qui hoc
 agunt; mea sententia. 549 Rectius namq³ sibi
 consulunt, & minus falluntur in contractibus, quàm
 si conductitijs linguis utantur; 550 aut inter se
 per signa loquantur & nutus, quemadmodum Lap-
 pios scimus vilissimis quibusq² mercibus preciosas
 pelles permutare; hominum, ut fertur, iustissimos,
 sed in vita rationis egentes admodum. 551 Neu-
 tra est causa cognoscendarum plurium linguarum
 homini bona doctrinae studioso. 552 Nam quisq³
 eruditorum non latius, quàm sibi imperat: quod
 qui nostrum facit sapit: 553 (persuadere namq³ a-
 lijs quae utilia, quae bona, quae honesta sunt, non
 est imperare, aut imperium, cui se ultrò intelligen-
 tes subyciunt, eaq³ de causa minimè culpandum)
 554 neque qui nostri ordinis est, quastum facit.
 Neque enim idem est excolere animum virtute, &
 mentem perficere sapientia, quod augere patrimo-
 nium. 555 Neque iis ad ostentationem opus est;
 quae cum aduersetur veritati, longissimè ablegetur
 gentium. 556 Indignum est nostro ordine, &
 eo homine cum primis, qui promittat nobis educa-
 tionem primae aetatis, & virtutis & sapientiae primor-
 dia; 557 ea moliri, quae homines stulti admi-
 rentur, cum tamen per sese nihil ipsa sint: quin et-
 iam obstent melioribus. 558 Nihil ineptius est,
 quàm

quàm pueros. Hebræam linguam docere id tempo-
 ris, cum erat vacandum alijs, usq; plusquam neces-
 sariis. 559 Neque ego contemno Hebræam lin-
 guam, quam nesciam, ut quis suspicari possit, &
 hoc causa esse mei iudicii existimes: 560 neque
 tamen ita nescio, ut etiam me fugiat, quid ab ea
 expectandum sit. 561 Qui se ad sacras litteras
 conferre cogitant; iis suaserim, atque etiam optem,
 ut Hebræi sint. 562 Sed hoc satis mature facient,
 ubi de vitæ genere constituerint, quod non faciunt
 adolescentuli: 563 & si facerent, multa tamen
 prius discenda forent, quàm ad abditissimam hanc
 & cœlestem philosophiam se totos conuerterent. 564
 Ad sacra enim non illotis manibus, quod aiunt, neq;
 non purgato pectore accedendum esse statuimus. 565
 Atque hac de causa minimè omnium probo solennes
 disputationes & ad pompas comparatas, non ad in-
 vestigationem veritatis, de rebus grauissimis. 566
 Non dicam quàm gloriosi huiusmodi disciplinarum
 antistites ipsi parùm intelligant, tanta freri audacia:
 567 hoc mihi nemo inficiabitur, subtilium rerum
 intelligentiam non cadere in pueros; ac ne esse qui-
 dem ciuiliū disputationum auditores, ut summus
 magister sapientia scripsit; 568 non solum qui an-
 nis non multum processerint, sed & qui moribus non
 satis adoleuerint: etsi hanc histrionicam agant. 569
 Tamen si personas suas agnoscerent, & post, tam-
 quam acta fabula, deponerent è vestigio, riderem

fortasse, sed verborum nihil facerem. 570 Ve-
 rum quia ex hac consuetudine contentiosum & so-
 phisticum genus hominum, quae vita humana pestis
 est tetricior quam vulgus iudicat, gignitur, habeo
 quod improbem admodum, neq; minus indignor.
 571 Quod autem fieri nulla ratione in vlla partium
 philosophiae potest, id verò in diuinis oraculis rectè
 tentari existimabimus? 572 Non certè puto esse
 hanc licentiam laudandam, neq; aduliioribus, ni-
 si & ipsi pluribus annis in hoc studio versati sint di-
 ligenter; 573 hoc est, nisi & legerint religiose libros,
 quibus mysteria illa continentur; & voluerint vete-
 res, tam Gracos, quam Latinos illorum interpre-
 tes; 574 & plenius historiam catholicae ecclesiae co-
 gnouerint; nedum pueris hoc largiendum censeam.
 575 Qui ad philosophos ibant, audiebant initio,
 idq; bene longo tempore, priusquam sibi hoc sume-
 rent, ut de rebus ipsi disquirerent, aut modestè con-
 tenderent. 576 De ceteris longum foret dicere.
 Qui se ad Pythagorae disciplinam conferebant, ipsos
 etiam annos quinq; silentium colebant, modò au-
 diebant: 577 ipsum interea Pythagoram neq; a-
 spiciebat oculis quisquam, quoad eorum animi ex-
 plorati, mores verò corroborati essent. 578 Quanto
 minus dabimus hoc pueris, & rudibus alijs, quos &
 ipsos puerorum nomine non iniuria censemus, 579 ut,
 quibus de rebus per aetatem, per ingenium, erudiri nō
 potuerint, audacter differant, vel impudenter potius
 & o-

Ve-
 & so-
 pestis
 habeo
 igner.
 rtium
 s rectè
 to esse
 us, ni-
 nt di-
 libros,
 t vete-
 erpre-
 esia co-
 nseam.
 initio,
 sume-
 ste con-
 dicere.
 t, ipsos
 do au-
 neq, a-
 imi ex-
 Quanto
 quos &
 579 ut,
 ndiri nõ
 er potius
 & o-

& omnino stulte? 580 quamquam proh dolor, hodie
 passim, neque textores, neque cerdones, neq, mulie-
 res conticescunt: idq, licet per magistratus, & pro-
 bant saepe sacerdotes! 581 Sed idiotas missos faciam,
 qui non oratione, sed legibus coercendi sunt. 582
 Quos in litteris educamus, si adsuefaciemus statim
 ad hoc genus sublimium disputationum, iam à lit-
 teris eos repulerimus. 583 Non poterit enim iis
 in mentem venire, qui se in summa esse sapientia præ-
 clarè versatos sentiant, sibi quedam in bonis litteris
 ignota esse: 584 quin alia, quantumvis optima,
 & necessaria magis, quàm hic aer, quem haurimus,
 tamquam se indigna, despicient superbe. 585 Non
 dico hæc odio, malevolentia, invidia: signi hoc sa-
 tis est, quod maledicum verbum hic nemo quisquam
 leget; nedum quem contumeliose insecter. 586 Ar-
 gumentum verò etiam, quòd exquiro & depromo à
 sapientibus, quæ publicè non minus, quàm priua-
 tim profint: 587 quod qui faciat, cum invidere
 nemini dixeris, nisi, quæ vis invidia sit, nesciat.
 588 Cum autem ab omnibus bonis hic morbus
 longius, tum ab ijs, qui rectè litteris expoliti sunt,
 abest longissimè. 589 Res ipsa hoc loquitur, ut
 qui ad eum, (qui à me nunc rectè reprehenditur,)
 modum educati sunt, & à moribus hominum, bonis
 quoq, abhorreant; 590 ut societati mortalium
 ineptiores, quàm qui se in perpetuum solitudini de-
 mouerint; 591 ut humanitatis iura ignorent; ut
 D B sibi

sibi impotenter, vel malitiose, vel inscientes quoque
 in omnes imperium arrogent; 592 ut homines
 aut nihil tale merentes seu iudicis dictis, ut ait comi-
 cus, adoriantur; 593 aut errantes leuiter, per-
 stringant atrociter, ut humanis diuina, prophana
 sacris misceant: 594 neque verò persequar, neque pos-
 sem persequi, quidquid ex talibus est pestium. 595
 Tunc igitur sacras litteras è scholis exterminas? sic
 enim exclamabit, si quis, que dico, nolit intelligere:
 vel intelligere non possit, quòd aliter adsuesfactus sis.
 596 Ego verò minimè: sed hoc contendo maximè, ut,
 que sint prima & necessaria capita fidei Christia-
 nae imbibant pura pueri, atque ipsa perpetuò memine-
 rint; 597 neque tantum is assentiantur, sed ad eos ro-
 ros se conforment; animisque expurgatis, fugiant o-
 mni studio quam longissimè, 598 que à Deo, sa-
 pientissimo & summo censore omnium & actionum
 & cogitationum, quem occultissimorum nihil fugit
 omnium, interdicta audiant: 599 contra, que ipse
 mandat, pater optimus & clementissimus, in ea toti
 incumbant: 600 nouerint denique, quod ignorare
 aut obliuisci nemo debet mortalium, id quod diuus
 Ignatius scriptum reliquit, 601 non solum Ma-
 gnesis, quibus inscripta est illa epistola, sed & in
 uniuersum uobis omnibus: 602 hoc decere, non
 ut dicamur Christiani, sed etiam ut simus, quod
 non in appellatione, sed in re ipsa consistat beati-
 tudo. 603 Quod si agamus, & nos in hoc con-
 fir-

firmemus; ibi demum tutius, de Deo rebusq; divi-
 nis, 604 non contentiose altercari, sed pie inter
 nos colloqui, quod fit placide sciscitando, & non per-
 tinaciter respondendo, poterimus: 605 si præ-
 sertim bonis litteris, & cum primis ea facultate, qua
 omnis rectè partiendi & ratiocinandi vis contine-
 tur, 606 & divinarum litterarum cognitione, &
 ipsarum interpretum optimorum, & historia instru-
 eti accesserimus. 607 quæ omnia & quedam in-
 super alia in ijs requirimus, qui mysteria cœlestia
 profundius inuestigare in animum induxerint. 608
 Quare, ni fallor, rectè consulo, & ut pueritia im-
 bibat statim capita nostræ pietatis, 609 & ut ab ar-
 canorum inuestigatione hac imbecillitate ætatis &
 iudicij remoueat: sed in ijs erudiat sedulo,
 quæ ad grauiora viam sternant. 610 Omnino
 enim hoc mihi persuadeo, & pedetentim esse discen-
 ribus progrediendum, quo firmiter pedem figant;
 611 neq; interruptis gradibus ascendendum, aut
 euolandum ad scientias illas sublimes.

612 In quo si quis à me non dissentit, hic quoq;
 sentiet, valde intempestiuè in primo templi Musarum
 vestibulo, vel potius ante hoc ipsum, inculcari pue-
 ris præcepta logicæ, 613 quam & partis nomine
 dialecticam hodie vulgo nominant, artis maxime
 omnium & difficillime, sine eam malis instru-
 mentum ceterarum, & vniuersæ philosophiæ appel-
 lare: 614 quam & Plato finem ἢ θεῖον φιλοσο-

Quae dixit ; quod qui eam teneat , non ille
 viro sit in studijs sapientiae, 615 sed ea iam absol-
 uisse feliciter videatur ; aut certe se iam in omnibus
 ipsius spacys , cum certa spe victoria , hoc est cog-
 nitionis rerum uberrime , exerceat. 616 Neq₃ non
 idem auctor est in extremo septimi de rep. , ne ado-
 lescentes attingant differendi consuetudinem. 617
 Neminem namq₃ fugit , quam adolescentuli , qui
 primum degustant disputationes , his ipsis veluti lu-
 do iocoq₃ abutantur , & utantur perpetuo aduer-
 sandi gratia : 618 & quam , dum imitantur ho-
 mines doctissimos , qui conuincunt veris rationibus
 falsarum opinionum defensores , 619 ipsi ex alijs
 reprehendendis voluptatem capiunt , & in hoc in-
 senti sint , veluti catuli , ut obuium quemq₃ adori-
 antur & mordeant. 620 Hac ratione ait fieri , ut
 eum multos conuincant ipsi rationibus , & conuin-
 cantur ab alijs , omnino & statim eo perueniant ,
 621 ut , quae modo pro ratis habuerint , iterum pro
 falsis abiciant , neque in vlla siue sententia siue opi-
 nione sibi constant. 622 quo pacto sit , ut & ipsi ,
 & in uniuersum philosophandi studium male audi-
 at. 623 In huiusmodi insaniam nolit incurrere
 prouectioris aetatis quispiam : 624 sed imitari ma-
 lit hunc , qui altercando ad veritatem respicere ve-
 lit : 625 atq₃ cum ipse erit moderatior , tum hoc
 institutum , quod videretur ignobilius , magis
 mobilitabis. 626 Hac Plato : vel certe hac eius

est sententia, quam conatus fui reddere, si modo af-
 secutus sum, quod volui. 627 Ego verò existimo,
 cuius artis usus tam diligenter & seuerè interdica-
 tur pueris, & accedentibus quibusq; primum ad lit-
 teras, eam tradi minimè esse necesse, 628 sed in
 suum tempus, & proprium locum rejiciendam; ne-
 que cum post ullo pacto negligendam, aut tractan-
 dam oscitanter. 629 Quod si quem neq; aucto-
 ritas summi philosophi mouet, neq; quod ego caus-
 sa adfero: 630 hic cogitet, quantum intersit in-
 ter prestantem grammaticum, & mediocre sal-
 tem philosophum: 631 & quam huius sit solummo-
 do uti suo instrumento, ut Pelias hasta non ali-
 quam Achilli conueniebat. 632 Neq; negarim
 ex grammaticis aliquem philosophari, & tenere di-
 uinam hanc differendi facultatem. 633 Sed
 quem requirimus erudienda pueritia, eum philoso-
 phum esse non necesse est; 634 bonum esse gram-
 maticum, hoc est, doctum & industrium interpre-
 tem utriusq; lingue scriptorum, 635 qui non pe-
 culiatae artes vel scientias nobis reliquerunt, & re-
 ctum est, & satis meo iudicio. 636 Quin fieri pu-
 ro, ut qui totus sapientia studiis occupetur, non pro-
 pterea sibi continuo huius, & artium & scientia-
 rum principis seu moderatrixis, sumat explicatio-
 nem. 637 Hoc namq; est modestia philosophi; quem-
 admodum alterum arrogantia indigne doctis
 638 Etiam nostro nomine confiteri non veretur.

Et in Academijs, inter praclaros docentes, quorum aliquos eruditos esse, neque artis, de qua verba facimus, penitus ignaros, necesse est, 639 per quam paucos reperiri, ita in omnibus partibus logices, Et in intima logica versatos, 640 ut eam plenè, dextrè, Et luculente auditoribus, cumque ipsorum utilitate possint tradere. 641 Ne igitur pudeat ex ludimagistris aliquem, honestè hac in parte inscitiam suam potius fateri; 642 quam turpiter sibi arrogare, quod in ipso intelligentium nemo desideret. 643 Sed plerique horum qui tantum sapiunt, sua sententia, ut scholasticos suos docere audeant dialecticæ, cuiusmodi hæc ipsa docent? 644 Non quæ sint dialecticæ, sed quæ illi esse arbitrentur, vel falsa, vel mutilata, vel contracta: 645 immò compendiorum, ut appellant, quisquilias: quæ omnia satius ignorare erat, quam tantæ artis falsa opinione imbui. 646 Sunt enim propemodum eiusmodi, ut deinceps ad veriore eruditionem aspiraturo iterum abijcienda sint: immò magna cum molestia didiscenda. 647 Si quis admodum urgebit, sciatque Et se sapere, Et esse sibi ita ingeniosos, Et tam amplo profectu adolescentes, quos erudiat; rei periculum faciat: 648 doceat eos, quæ vocantur categoremata, ut statim discant dignoscere, quid, de quo, cur dici possit; 649 vim etiam propositionum, quorum usus est in cuiusque rei investigatione: 650 denique schemata argumentandi rectè concludentia;

hæc,

hæc, inquam, è plurimis pauca, vel ex hisce non-
 nulla doceat; 651 quæ tamen ipsemet ad unguem
 nouerit, ut gustum habeant aliquem doctrina sub-
 tilissima. 652 Idem vero meminerit, & suis adoleſcē-
 tibus inculcet, longè esse vberiore[m] logicam, suoq[ue]
 tempore perdiscendam: 653 esseq[ue] has particulas
 minutas, ac veluti pauculos fructus ex ditissimis hor-
 tis Alcinoi. Hoc mei de hac re iudicij est. 654
 Nolim enim scholasticum esse muscæ similem, ad o-
 mnes patinas aduolantis, & de cibis quibuscumq[ue], non
 tam delicatè quàm fœdè, ligurientis. 655 Itaq[ue]
 tironem in Latine lingue studio, non quidem illo
 solo in perpetuum; 656 sed tamen satis diu, &
 quidem, quousq[ue] & Latinos intelliget, tum hos qui
 soluta oratione scripserint, tum poetas, retineri ma-
 lim.

657 Sed qui tirocinium breui absoluturus vi-
 deatur, non improbo, si ei magister potestatem fa-
 ciat adeundi ad artem dicendi. 658 Hæc enim
 ars facilior multò est, & si licet dicere, quod sen-
 tio, longè omnium facillima; 659 cum versetur
 in ijs rebus, quarum cognitio etiam quodammodo,
 iudicium ferè prorsus, ad populum pertinere credi-
 tur. 660 Sed cautio iterum ea adhibenda est, ut
 non doceat rhetorica, qui, si orator non sit, neq[ue] et-
 iam ipse rhetorica didicerit. 661 Nam qui ipse
 dicendo admodum non valeat, fieri potest, ut dicen-
 di magister eximius sit: 662 quod & existimabas

is, qui perfecisse hanc artem & re ipsa, & orationis
 praestantia creditus est, Isocrates: 663 cum se cotis
 instar esse diceret, ferrum acientis, quod doceret
 principes Gracia, ipse ad dicendum non prodiret.
 664 quamquam, quod perquam modestè dissimu-
 labat, sua etatis oratorum princeps erat. 665
 Non tenere autem artem rhetoricam eum existima-
 rim, qui tantum nuper male natos de illa libellos at-
 tigerit, & fortè omnis generis orationes siue decla-
 mationes legerit. 666 Is mihi verò artem rheto-
 ricam teneat, qui magistrorum dicendi lectissimo-
 rum libros cognoverit; 667 Aristotelis dico, &
 quidem huius pra omnibus: deinde Demetrii Pha-
 lerei, Dionysii Halicarnassei, Hermogenis, Mar-
 ci Tully, Fabij Quintilianii, & parium: 668 qui
 diligenter legerit ipsos oratores, primum Gracos, Iso-
 cratem, Demosthenem Aeschinem, atque ipsum
 deniq; Latinae linguae parentem. 669 Hic, si neq;
 ipse erit infans, & scribet, quod doctis auribus non
 sordeat: hoc magis unum idoneum huic provincia arbi-
 trabor. 670 Neq; amen suaserim, ut integra artis ex-
 plicationem in e suscipiat; 671 aut tam graue onus
 imponat non admodum firmis discentium hume-
 ris. 672 Satis fuerit, aliquid progymnasmatum
 pueris tradere, ut Theonis, Aphthonij, eosq; in
 partibus expoliendis nonnihil exercere: 673 neque
 improbarim, in ludicris ingeniorum aliquando pe-
 riculum fieri, & ad ipsam veluti dicendi faculta-

sem preparari: 674 quam tamen non constituo
 finem ultimam studiorum, ut quibusdam placet;
 675 sed, ut veteres censuerunt, pro instrumento
 politices habeo, & singulari uniuersae vitae ornamen-
 to. 676 Nam profectò, quo homo à brutis, post
 rationem, quae nos caelestibus genis aequat, maximè
 discernitur; 677 in eo quam plurimos sui generis
 superare, & effulgescere, 678 praeterquam quod
 publicè utile est, ut de priuatis vsibus non dicam,
 pulcrum esse negabitur à nemine mortalium. 679
 Cùm verò etiam sit, non quidem facillimum, sed
 tamen multo facilius, quam vulgò creditur, diser-
 tum fieri; 680 (nam de summa eloquentia aliter
 dicerem) inuentutem in eo aliquid maturè conari
 peruelim: sed ita tamen, ne quid fiat praecoquum.

681 Nunc quoniam de his satis videmur dixisse;
 neq; silentio musicam praeteribimus. 682 Musica e-
 nim summa fuit dignitas omnium primum. Erant e-
 nim ydem poetae & philosophi: quod soli poetae sapi-
 entiam carmine comprehenderent. 683 erant y-
 dem quoq; poetae & musici, qui quae diuinitus ipsi
 panxissent, voce quoq; modulabantur; saepe etiam
 adhibitis fidibus. 684 Cum igitur olim musicos
 dicebant, & grauiore de caussa sapientissimos intel-
 ligebant; 685 & musicae studium pro studio uni-
 uersae sapientiae accipiebant: quod cùm ex alijs,
 tum ex Platone in Timæo apparet. 686 Itaq; pro-
 bo & gaudeo apud nos quoq; musicam in precio es-
 se &

se, & pueros in omnibus ludis doceri musicam: si non
 omnem, certè eam, quæ voce humana exprimitur.
 687 Amemus igitur porrò, & conseruemus musicam;
 & quia voluptati est; 688 ad quam, hoc est, ad aliquã
 voluptatem procliuis est, & vi sua ruit pueritia,
 quæq; hanc ætas statim excipit; 689 & quia est mole-
 stiarum & studij, cuius neq; diu patiens est prima
 ætas, honestissimum diuerticulum. 690 Nam pila,
 cursus, inferiora sunt: alea & huius generis plura,
 turpia, & omnibus fugienda, & rectæ vitæ vene-
 num pestilens. 691 Non solum verò utraque de
 causa; sed etiam, quia animi motus indomitos
 cum primis ipsa sedat, vel certè argumentum est
 animi moderati. 692 Nam quo quisq; insolentior
 est, hoc minus musica afficitur & demulcetur.
 693 Discant igitur musicam ingenui pueri omnes;
 non eam, quæ maioris operæ est, & in consideratio-
 ne harmoniarum vertitur; 694 neque eam, quæ
 conditrix est cantionum; quam qui discunt, viden-
 tur mihi à studio reliquæ doctrine ad certum vitæ
 genus transire; sed quam dixi paulo ante. 695 Non
 autem minus intelligo hanc, quæ simplici elegantiq;
 vnius vocis modulatione perficitur: cuius in tem-
 plis usus fuit potissimus pluribus iam seculis; 696
 quàm alteram, quæ inuenta auorum nostrorum æ-
 tate, rudis initio, paulatim ab ingenijs musicis o-
 mnium politarum gentium exculta, ad fastigium,

ni fallor, pervenit. 697 Et ipse namq, arbitror,
 que apud Gracos musica floruit, eam penitus occi-
 disse, ut vix eius vestigium appareat; 698 et si
 illam quoq, è tenebris revocare, vel potius ab inferis
 excitare homines elegantes ydemq, diligentes co-
 nati sunt: 699 qui forte parum profecerint, quam-
 vis ipsum studium non improbem, sed dignum iudi-
 cem, in quo aliquid ponatur opera, si id non fru-
 stra fieri confidamus. 700 Simpliciozem verò mu-
 sicam hoc pluris facio, quòd varia illa, qua divi-
 nior esse perhibetur, (neq, ego hoc negarim) 701 ni-
 si quis artem canendi probe didicerit, & elegantè
 quoque voce moduletur, non voluptate magis replet
 aures quàm molestia, & hoc agit, quod vetus Co-
 mœdia, ut in auditoribus risum moueat. 702 Ne-
 que docebo magistrum musice, ut modulari pueros
 doceat, clarè & eleganter, ne pro suavitare stri-
 dorem vel boatum sonent: 703 ut item intervalla
 sonorum & temporum religiose teneant, & qua his
 similia sunt, qua musicum nosse & servare sine cu-
 iusquam admonitione oporteat. 704 Ac fortè i-
 pse hoc loco monerem de pluribus, si in hac arte ul-
 terius progressus essem, quàm ut aberrantes ride-
 rem. 705 Ac fortè quis dixerit, me passim in
 hoc commentariolo plura reprehendere, quàm me-
 liora tradere. 706 Fieri autem potest, ut hoc ita
 sit. Quod si facio, non facio equidem carpenti stu-
 dio. 707 Neq, is, qui, ubi erretur, bene osten-
 dat.

dat, non bene de alijs mereri existimandus est: quamquam, qua recte quoque fieri existimemus, conamur simul aperire, si forte assequimur. 708 Unum de musica veteri ubi attingero, pergam ad reliqua. Male me habet, multos item bonos viros, neq; nescios, quid quoque loco & tempore deceat, 709 Latina carmina, modis musicis non vulgari- bus ornata, è templis eici, & non solum usurpari quaedam vernaculo sermone, commodisq; sonis com- posita, 710 (ferri enim hac inter illa possint) sed saepe vel cani inconditis verbis contexta; 711 quo nomine Dionysius Syracusanus, cum tamen modos adhibuisset singulares, ludis olympicis explosus le- gitur; 712 vel sacras carimonias melodis dithy- rambicis, cuiusmodi è moderato conuivio exige- rentur, & in cauponis audiri soleant, contaminari. 713 Quod non ferrent, si, qui huic rei praesunt, musica elegantioris aliquid olim attingissent: secus & iudicarent.

714 Sed procedimus ad alia. Appellabant o- lim primas scientias mathemata; in quibus exer- cebantur adolescentes antè quam ipsis ad interiorem philosophiam aditus concederetur. 715 Utinam mature in us quoq; exerceri nostra iuuentus possit! nihil malim, pluribus de causis: 716 neq; du- bitem, quin hoc pacto breui ad veterum praestanti- am proximè nostram etiam aliqui accessuri sint. 717 Sed cum hodie fieri non posse existimetur, quod

non parum ingenij, opera & temporis tribuendum
 sit utriq; linguæ; 718 & omnino etiam difficile esse
 negari non possit; nihil amplius contendam, nisi ut
 pueri discant numerandi scientiam; 719 cum eius,
 hoc est, arithmeticæ vsus in omnibus humane
 vitæ partibus, & latissimè pateat, & perpetuò re-
 quiratur. 720 Neq; referre arbitror, utrum La-
 tinâ linguâ discant, an vernaculâ. 721 Quin
 has discendam potius crediderim, ne duplicata con-
 sideratio discentium cursum retardet. 722 Ipse
 Plato in extremo V. de legibus, neminem civium
 huius artis vult expertem esse, disciq; à pueris, 723
 & appellat disciplinam puerilem: quo loco magni-
 ficè omnes ipsius utilitates explicat. 724 Namq;
 ad rem familiarem, inquit, & rempublicam, & ad
 omnes artes, nulla disciplina puerilis tantopere con-
 fert, ut numerorum exercitatio. 725 Quod ve-
 rò maximum est, dormitantem & natura indoci-
 lem excitat, eumq; & docilem, & memorem, &
 solertem efficit, præter suam naturam: tantopere
 ille diuina hac arte profecerit. 726 Tantum es-
 iam numeris Pythagorei tribuebant, ut omnia con-
 stare ex numeris crediderint: 727 etsi hoc ita se non
 habet, ipsiq; suis aliter ea interpretabantur; siue
 philosophiæ decreta sic observabant, ut tantum ini-
 tiatis, non etiam vulgo innotescerent. 728 Sed
 hic de numerorum dignitate dicendi locus non est:
 consilium de arithmetica aperire velui: 729 quo

E

utem

utentur, qui utilitati tum publica, tum priuata, & ingenijs nondum subactis consultem volent.

730 Iam ubi nonnihil dixerō, de Græca lingua, & Græcorum librorum interpretatione, perfunctus mihi videbor hoc officio, 731 & pleraque dixerō, quæ ad ludum litterarium rectè aperiendum requirantur. 732 Ero autem hic eo breuior, quod supra & de grammatica, & de ratione interpretandi ea dixerimus, quæ huc non minus pertinere videntur. 733 Nam in Latino sermone paululum progressi, & flagrantes studio litterarum Græcarum: 734 necessarias illius primæ artis præceptiones, etiam sine magistro facile imbiberint: si vero veluti dux aliquis accedat intelligens, non multis mensibus in grammaticæ illius variæ potius, quam difficilis, cognitionem introduxerit. 735 Sed in primis animaduertat doctor grammaticæ, ne dictiones, quas anomalas vocant, confundat cum regularibus; 736 in quo facile hic peccatur, in tanta varietate, de qua minutè disputare neque volo neque debeo. 737 Neque enim mihi humillima quæque persequi propositum est, neque existimo omnes ignorare omnia. 738 Et enim vix quisquam ita impudens est, ut aliquid in se suscipiat, in quo non mediocriter se versatum esse existimet. 739 Non video autem, cur vlla ratione probem, assuesieri aut cogi pueros ad scriptorum Græcorum compositionem: 740 quod qui faciunt, ostentant se plebecula in ea re, cuius ipse

ipsi penitus rudes sunt, si rem profundius introspeciamus. 741 Gracè enim discimus hodie, non ut Gracè loquamur aut scribamus: (quibuscum enim, aut ad quos?) 742 sed ut optimas & maximas res atq; disciplinas Græcorum, ipsamq; philosophiam, matrem uniuersæ sapientie, 743 hominibus à Deo ad rectissimè beatissimèq; uiuendum attributa, quàm plenissimè cognoscamus. 744 Tamen adulescentes laudo, qui sponte aliquid Gracè exprimere conantur; 745 modò non eò ineptiarum labantur, ut relictâ ipsa linguâ, eiusq; optimis auctoribus, & ceteris studijs necessarijs, frustra se torqueant scriptitandis Græcis; 746 & interea dum nomen querunt, se deridendos propinent, vel saltem leniter Gracà doctrinâ tinctis. 747 Præterquam enim quod id genus librorum scater ubiq; solæcismis: nihil habent nisi vulgo trita, vel absurda. 748 Iam dicendum existimo; qui libri ex Græcis interpretandi sint pueritiæ, & quomodo interpretandi. 749 De ratione interpretationis pleraq; supra diximus, quæ & hic meminisse lectorem velim. 750 Non minus enim eadem sequetur interpres in explicatione Græcorum scriptorum, quæ obseruanda in Latinis de auctoritate doctissimorum hominum supra præcepimus. 751 Præterea nemo ignorat, interpreti sententiam scriptoris, quem auditoribus representare constituerit, notam esse oportere, & hanc reddendam Romanis verbis. 752

Quorum hoc consequetur is, qui ipse Latine olim didicerit; & nunc quoque meditetur sedulo apud animum utriusque lingua proprietatem: 753 neque fides communibus interpretationibus semidoctorum hominum; cum etiam doctissimos in hac re saepe alucinari contingat. 754 Non debeo autem tam plerasque versiones vituperare, quod iure poteram; 755 quam eos collaudare, qui aliqua eruditione instructi contulerunt aliquid operae non inutilis rei publicae litterariae. 756 Maximam autem gratiam habendam existimo & veteribus & recentioribus, siue grammaticis, siue doctis viris 757 (non est enim eximius grammaticus, quin sit instructus liberali aliqua doctrina, neque doctos viros grammaticae expertes esse credibile est) 758 qui insipientiam scriptorum illustrare, & si quid esset obscurum, ingenio & labore suo e tenebris eruere conati sunt; idque ut plurimum feliciter praestiterunt in hoc genere. 759 Græcos plurimi facio, non iam eos, qui Aristotelem & philosophorum libros egregie illustrarunt, quod de his hic non agamus; 760 sed hos, qui reliquis scriptoribus aliquid lucis attulerunt, & oratoribus, & poetis, sed his potissimum: 761 ut Hesiodo, Pindaro, AEschylo, Sophocli, Euripidi, Callimacho, Theocrito, & Homero omnium principi: 762 quin si scholiastæ illi non admonissent ingenium manusque suas, plerisque aut non intelligeremus, aut sine magno negotio non assequeretur.

que

queremur. 763 Nam, ut de ceteris dicam denuo, quis Pindarum, quis AEschylum intelligeret, sublatis commentarijs? Sed si quis; is panè serò eò penetraret. 764 Iam, ut qui cum cortice & facile & sine periculo natant; ita cum aliqua diligentia in Graeca lingua versati, omne genus poetarum pœnè adolescentes, commentariorum beneficio, possunt evolvere; 765 capereq; ex illorum lectione & utilitatis non vulgaris, & honesta voluptatis plurimum. 766 Taceo huic generi interpretum deberi plus panè quàm plerisq; lexicorum conditoribus; qui, nisi illorum opibus niterentur, in longè pluribus essent lapsi. 767 Omnibus aliqua debetur gratia, etsi, ut in quaq; re fit, non omnes aequè partes sui muneris explerunt; 768 cum in quibusdam quadam ieiuna sint, in alijs & supervacanea. 769 In Eustathio desidero multa, neq; non plura video, quae non desiderem: 770 multum tamen confert interpretanti Homerum, & ex illa scholiorum multitudine necessaria & bona seligenti. 771 Utinam plures veterum in hunc poetam commentationes ad nos pervenissent! 772 quò lautius animos nostros huius sapientissimi & politissimi ingenij exquisitissimis epulis pascereamus. 773 Nam Crates Thebanus in eo tantum studij posuit, ut inde Homericum cognomen adipisceretur. 774 Zeno Citiens Homericas quaestiones, & in Homerum commentationes scripsit: nec non Heraclides Ponticus, auditor

Platonis. 775 Ipse deniq; Aristoteles cum multis alijs adiunxit & ornauit poetam, tum quaestionum Homericarum libros sex confecisse traditur, sic referente Diogene Laertio. 776 Reticebo nomina plurimum, cum libri eorum ad unum omnes magna cum rei litterariae iactura desiderentur. 777 Utinam non inuideant nobis diutius breuia quidem illa, sed vetusta & docta in Homerum scholia, quorum passim meminit Victorius, qui illa sibi seruant! 778 quae & ipse vidi olim Florentiae; quando & paucis diebus aliquam eorum partem ita accuratè legi, ut inde nonnulla mea fecerim, & meminero. 779 Nunc porrò ex omnibus, quae persequi hoc libello constitui, hoc unum restat, qui sint Graeci scriptores interpretandi adolescentibus in ludis litterarijs. 780 Bene est, non exstare tantam multitudinem, male Graecissantium librorum, quanta & est, & quotidie nascitur male Latinorum: ut minus difficile sit ab illis abigere discentes. 781 Neq; ignorant magistri, quò quid sit recentius in eo genere, hoc plerumq; deterius esse, eòq; negligendum melioris doctrinae studiosis omnibus. 782 Nec est quod quis vel Platonem, vel Aristotelem adolescentulos docere coeatur. 783 Deniq; quaecunq; methodi sunt scientiarum, vlliusq; partis philosophiae, ne quis ita nimium sapiat, ut aliquam harum in tali tamquam Musarum templi vestibulo ausit tradere. 784 Reliqui sunt poetae, oratores, historici, ludicrarum re-

rum

rum scriptores. 785 Primis tironibus facillima
 quaque & incundissima proponenda censent: cu-
 iusmodi sunt Luciani pleraq³, & varia AEliani hi-
 storia. 786 Sed hac considerationi praeceptoris non
 ineruditi rectius permisero. 787 Vbi discipuli in
 grammaticis radices egerint, deducantur ad alte-
 rum genus; 788 in quibus, ni fallor, Pindarus,
 Thucydides, AEschylus sunt ita sublimi stylo usi, ut
 omitti isto loco debere videantur. 789 E ceteris de-
 ligat sibi explicandum magister, quem velit. 790
 Atque etsi neq³ ipse in hac re multum discriminis po-
 no: tamen in principio epistolas veterum proponi ve-
 lim; 791 non solum ob brevitatem, sed quia ha-
 bent nativi succi plurimum: Xenophontem item
 ob facilitatem & brevitatem. 792 Homerum ve-
 lim in manibus esse, tum docentium, tum discenti-
 um: laudoq³ Alcibiadis non factum petulans, 793
 qui, cum à magistro ludi rapsodiam Iliadis peteret,
 atq³ hic sibi Homeri quidquam esse negaret, homi-
 ni graues pugnos impegerit; 794 sed iudicium
 laudo, qui ostenderit, & illum hominem planè ru-
 dem esse, & redditurum sui similes discipulos, qui
 Homerum non doceret. 795 Homerum igitur &
 ipse adolescentibus interpretandum iudico, & ini-
 tium ab Odyssaea faciendum, ut & Scaliger putauit:
 796 quanquam nobiles Germanorum animi, ma-
 ximeq³ militares, neq³ inepti erant ad audiendam I-
 liada. 797 De Homero per mihi erat facile, &

multa, & verè dicere: quod saepenumero fecimus, & sumus porrò facturi sapius: 798 Sed in presentia prater Dionis unius unicum iudicium nihil referam.

799 Hic cum de eo multis alijs locis splendide loquatur, tum oratione, qua de exercitatione dicendi agit: 800 Homerus, inquit, & medius, & extremus, & primus omnium est, cuique & puero, & viro, & seni: idemq; de se tantum largitur, quantum quisq; capere potest.

801 Habes, Theobalde, ludum litterarium, in animo meo exaedicatum, nouo modo, haud male, si non amore mei cecutio, sed recta ratione rememior. 802 Certè filios meos aliter erudiri nolim: tu verò tuis eandem institutionem optes; vel potius hoc modo, aut ab ipso non admodum abhorrente institui gaudes. 803 Hæc enim disciplina non est eiusmodi, ut fortè aliquis dixerit, quã sequi nemo possit in educanda prima pueritia; 804 etiamsi hodie magistri plures, de viis itineribus pueros ducunt, aut conantur ducere, quò volumus. 805 Eos ego non acerbè inspector: non solum, quia in lenitatem ingenij mei hoc non cadit: 806 sed etiam, quia & perperam educati sunt, neq; aliam rationem fortasse viderunt, ut ijs ignosci æquum videatur. 807 hortari tamen non desinam, ut & ipsi meliora inuestigent, & inuentis aliorum industria utantur. 808 Tennior quidem hic quoque libellus est, quam ut omnia, quæ quis requirat, contineat: 809 neque

tamen ita bonarum & grauium praeceptionum inanis, ut non aliquid liceat hinc discere cupido artis educandi pueros, 810 & perducendi ad bonas litteras, siue preparandi ad captum nobiliorum scientiarum. 811 Quidquid autem id est, debetur tibi primum, qui auctor fueris mihi huius scriptiois; vel potius me confirmaueris, cum me tale aliquid in animo habere intelligeres. 812 Confirmaſti autem duplici ratione, tum quia non solum conſilium probaſti meum, 813 sed etiam crebrius efflagitaſti, quod facilius in me recepiffem: 814 tum quia excitasti me quoque auctoritate praesulis Lubecensis, Eberhardi; 815 cui, quoniam de me optime mereri non desinit, negare hoc non deberem, quod praestare me facile posse consideretis. 816 Itaque quod iam sedulo agere coeperam, & meo conſilio, & de tua voluntate; 817 id monitus deinceps optimi principis litteris, minimè mihi relinquendum putauit, sed hoc accuratius tractandum, & quantum in me eſſet perficiendum. 818 Perſpexi autem non tam, quid ampliffimus ille praesul se velle ostenderet; quod sciam multa saepe probari, neque tamen ita geri; 819 quam quid facere decreuiſſet; quod ego ſoleo, non solum ad te ſcribens, sed paſſim apud intelligentes praedicare. 820 An non enim illuſtri viro digna eſt haec iſtius liberalitas siue potius magnificentia? 821 Beneficiorum alia, ut ſcis, in ſingulos conferuntur, alia in uniuerſos. 822 magna ſunt, quae in quemque bo-

norum virorum conferuntur: maiora quæ in uniuersos: 823 quod, ut in omnes corporis venas sanguis diditur, itemq; spiritus; ita & hæc in singulos quoq; redundant. 824 Ipsa igitur maiora sunt & immortalia: sed omnino diuina, quibus etiam fruitur posteritas. 825 Neq; tamen dico theatra, curias, templa, muros ciuitatis; sed quibus cum vita ciuium instituat, tum vita reipublicæ continetur. 826 Hoc illud, ni fallor, est scholas condere, educationi primæ ætatis, quæ breui iterum erit corpus reip. consuetere. 827 Quo nomine celebrantur multi; sed ante omnes Charondas, qui primus omnium legem tulit suis Thurys ut omnium ciuium filij litteras discerent: 828 magistris verò ludi ciuitas mercedem honestam penderet. 829 Mitto nunc alios: simile factum est præsulis tui, & meritò mihi hoc loco predicandum: 830 qui cæperit de nouo ludo litterario Verda aperiendo, ubi à bonis & politis viris filij ciuium educentur ad pietatem in Deum, omneq; genus virtutum; & simul rectis principys bonarum litterarum imbuan- tur: 831 neq; tantum hoc consilij cæperit, quod prudentiæ est, sed etiam, in quo ipsius munificentia elucescit, munus magnificum ex opibus suis ad hanc rem contulerit. 832 Laudo etiam collegium Verdensium antistitum, & senatum vestri oppidi: 833 qui auctoritatem sapientissimi principis secuti, non passi quoq; sunt, in re tam præsertim necessaria & sancta, suam liberalitatem desiderari. 834 Quæ omnia

omnia

omnia cum ex te, & re ipsa cognovissem; vobis hoc promptius morem gerendum putavi; 835 si forsitan ex meo studio aliquid utilitatis ad vestros quoque dimanaret. 836 Sanè quoties his diebus in hac scriptione calamum sumpsi; id sollicitè spectavi, ut hinc ad quam plurimos rediret haud contemnenda utilitas. 837 Quod si consecutum me fuisse aliquando intelligam; neque me huius opera poenitebit, & eo alacrius graviora aggrediar. 838 Faciam enim testatum, quoad vitam, quod haëtenus feci sedulo; me privato emolumento & honoribus commune bonum & reip. dignitatem anteponere. 839 Neque tamen adopes minimè aspiranti, & contento necessarijs, umquam deerit, unde & alios iuvenem: & laudis erit, quantum merebor. 840 Neque prodesse patriae nolum, etiamsi, ut fortuna me minus amabit, sic fama & celebritas deserat. 841 Nam & praclarum est per se de mortalibus bene mereri; 842 & secura est, vitae honesta obscuritas, nullius egens, cum animi tranquillitate, à qua non absit acre bonarum artium studium. Vale. Rostochio. Kal. Septem.

Anno M. D. LXXIIX.



ADDI-



ADDITAMENTUM,

Annis pluribus post superiora illa scriptum.

I

D Agella vacante, visum fuit monere scholarum curatores, quo ipsi modo hoc primum negotium, & minuta; ut putantur, alia, quæ huc faciunt, mirificè promoveant. 2 Proficiunt quidem in hoc, & omni huiusmodi genere non nihil rationes: 3 sed multo amplius, siue omnia præstant, qui rei ipsi præfecti, rem gerentibus pro auctoritate præscribant, quæ, quomodo exsequantur. 4 Exponam autem *consilium singulare* & nouum: neque verò ita nouum, ut hodiè à me, aut ab aliquo sciolo excogitatum: quod in hoc potissimum ex prisco sæculo renouatur. 5 Nam quod ad lectionem & scriptionem, ita res plana & euidens est, ut, qui sanæ mentis sint, omnium improbaturus sit nemo. 6. Auctor autem sim scholaris in primarijs ciuitatibus, ut præter receptum morem, *pueritiæ magistrum* præficient, cui locum honestum item assignent: 7 qui filios ciuium, eorumq; condiscipulos doceat, quæ

quæ omnibus nosse ex usu sit; 8 siue à literis
 paullo adultiores abeant, siue in litteris per-
 seuerantes, in quemcunq; ordinem doctrinâ
 præstantium se referant. 9 *Doceat* autem
 scholæ alumnos, quotquot sunt, ante omnia
 morum aliquam elegantiam, & modestiam,
 10 commodam pronunciationem, elegantem
 & lectu non obscuram scriptionem, multum
 arithmeticæ, nonnihil geometriæ. 11 Sed
 qualem ego volo, & vos velle velim, eiusmodi
 non esse obuium, & ipse fateor. 12 Primum
 autem non est, vt is Græcis & Latinis multis li-
 teris sit imbutus. Latinè saltem nonnihil no-
 uerit. 13 Hæc enim vernaculâ linguâ com-
 modè, quin etiam pueris facilius tradi pos-
 sint, imò sic ipsis rectius inculcari: 14 atque
 fortè etiam debent, ne, dum in linguam simul
 & rem animaduertant, alterutro, aut utroq;
 excidant. 15 Ne autem desit, via non difficilis
 est, ostensa verbo veteri: *honos alit artes.* 16
 nempe cuius doctrinæ præmia sint, eius magi-
 stros non difficulter inuenias. 17 Dicam diser-
 tius, & sic dicto opus est. Vilissimi enim vul-
 go habentur, qui prima principia pueros do-
 cent. 18 Itaq; vilissimis talia demandantur: itaq;
 pessimè illa docentur, & propagantur ineptis-
 simè. 19 Quare tali viro & honestus locus
 est tribuendus, & non minus mercedis, quàm
 cui-

cuiquam ceterorum. 20 Non solum enim omnes scholasticos docet, sed prodest in vrbe quàm plurimis, in quocunq; ordine. Ad omnes enim eius disciplinæ fructus deriuantur. 21 Primum enim magnum hoc est, à tenera ætate infulsitatem morum, sermonis & scriptionis auferre. 22 Nam, quod ad mores, nemo dubitat, nisi barbarus. In eo habebit & ceteros collegas sibi adstipulantes: & pueri sibi inter se exemplo erunt. 23 In lectione autem non desudabit solus; sed ex adolescentulis, qui commodius pronuncient, pueris, & quibusq; tironibus præficiet, quos volet, & quos ipsi huic vsui magister ludi litterarij præterea assignabit. 24 Ita, quod nusquam erat, aut difficilè videbatur, breui facilè futurum apparet. 25 Dixi, hæc omnia posse maternâ linguâ tradi: addo nunc, pronunciationem in vernacula quoq; quàm maximè flagitari. 26 non solum si sententia dicenda sit, sed & in sermone privato, siue in ambulatione, siue in circulis, siue in conuiuio. 27 Etenim ex omni consuetudine exterminanda sunt, quæ barbara sunt, aut barbariei speciem habent; 28 non minus quàm nares abstergere, & manus lauare iubentur pueri. 29 Ad scriptionem venio, in qua hic magister operam quotidianam ponet. 30 Semper enim, qui discent ducere litteras, alij succedent

cedent alijs, tam in vernaculo, quam in Latino sermone. 31 In vtriusq; characteribus delineandis velimus peritissimum. An, vt discipuli magistrum assequantur? 32 Imò, vt si non accedant proximè, scribant non turpiter; semper, vt scripta commodè legantur. 33 Sunt enim, qui ab elegantia transeant ad nouum artificium, ineptos dico literarum tractus & connexiones, quæ & ipsa legentes remorantur. 34 In Græcis litteris non minus eundem posse velim; neque requiram tamen. 35 plerique enim, qui Græcè satis intelligunt, characterum rationem ignorant: 36 quos nosse oporteat; certè in scholis; vt *Φιλέλλησιν* in his quoque pronunciandi & scribendi primordijs rectè præeant. 37 *Arithmetica* autem, quis in quo ordine absq; rei iacturâ caret? 38 taceo, quod hoc, vti loqui, hominis est; vt qui numerare nequit, fatuus rectè censeatur: qui parùm hîc profecerit, nō longe à fatuo abierit. 39 Hîc autem nobilis mercator facile disertus sit, vel quæstor, vel rei familiari præfectus: deniq; iustitor, ac opifex. 40 *De principijs geometriæ* per velim alicubi periculum fieri. *Arithmetica* ingenium acuit; doctrina de dimensionibus plurimum. 41 De utilitate & necessitate eius in rep. in militia, in astronomia, in architectura, in dimensionibus agrorum, 42 (deniq; in

in qua non item parte vitæ humanæ?) Hic plura dicere nihil attinet: sed certi loci est, & id accuratè fieri oportet; 43 quo magis intelligatur, quod sapiens suæ scholæ inscripsit:

ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΟΥΔΕΙΣ ΕΙΣΙΤΩ.

44 Nec præterendum, quemadmodum, qui acri ingenio sunt, magis ad omnia acuantur; acuantur verò etiam, qui obtuso esse visi fuerint.

45 *De musicis* non loquar; quod hæc, vt à seculo in vsu sunt, passim frequentantur. 46

Hoc, quod aperui, consilium rectius est, quàm multorum opera, qui pueros ad loquacitatem & opiniones educant, & exercent in dicendo infantes, in disputando stupidos, aut expertes omnis scientiæ. Hæc verò etiam ha-


ctenus. Idibus Martijs.

cIo Io cXI

FINIS.



Handwritten text on a fragment of parchment, including the words "at qu", "erud", "dem", "tis li", and "Car".




Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Handwritten text on the right side of the parchment, including the words "is", "di", "i-", "ri", and "is".

